

A N N A L E S
SCHOLAE CLINICAE MEDICAE
DORPATENSIS

ANNORUM

MDCCCXVIII. MDCCCXIX. ET MDCCCXX.

SUMPTIBUS PUBLICIS EDITI

AB

INSTITUTI DIRECTORE

D. JOANNE FRIDERICO ERDMANN

A CONSILIO COLL. RUSS. THERAP. ET CLIN. P. P. O. LITTERARUM UNIVERSITATIS CASANENSIS
SOCIO HONORARIO, SOCIETATIS NATURAE CURIOSORUM MOSCOVIENSIS, PHARMACEUTICAE
PETROPOLITANAE, OECONOMICAE ABOENSIS, MEDICO-PHYSICAE ERLANGENSIS ET
OECONOMICAE LIPSIENSIS SOCIUM.



DORPATI MDCCCXXI. 3

LITTERIS JOANNIS CHRISTIANI SCHÜNMANNI
TYPOGRAPHI ACADEMICI

CELSISSIMO PRINCIPI

ALEXANDRO NICOLAIDI GOLIZYN

AUGUSTISSIMO RUSSIAE IMPERATORI A CONSILII SANCTIORIBUS, ATQUE IPSIUS IN
UNIVERSO IMPERIO REGUNDO ADMINISTRANDO: QUAECUNQUE AD INSTITUTIONEM PUBLICAM
ET AD RES ECCLESIASTICAS PERTINENT MODERANTI; EX NUMERO EORUM QUI SUPRE-
MO CONSILIO, QUO UNIVERSE IMPERII RES GUBERNANTUR, SEDEM HABENT;
SENATORI; CUBICULARIO; EORUM, QUAE CURSUS PUBLICI CURAM SPECTANT,
SUMMO ARBITRO; COLLEGII, CUI COMMISSAE SUNT SCHOLAE SACRI ORDI-
NIS, SODALI; ORDINUM S. ALEXANDRI NEVSQVII, S. ANNAE PRIMAE CLASSIS,
S. VLADIMIRI SECUNDAE, ORDINIS BORUSS. AQUILAE RUFAE PRIMAE
CLASSIS EQUITI; EX PRAEFECTIS ORDINI EQUESTRI JOANNEO

XTC. STC. STB.

LITTERARUM PATRONO INDULGENTISSIMO

OPUSCULUM HOC

SUMMAE REVERENTIAE SUAE DOCUMENTUM

SACRUM ESSE VOLUIT

AUCTOR.

P r a e f a t i o.

Si institutorum publicorum curae ab administris eorum rationem ubique repetere fas est; haec praecipue ab iis, qui scholis clinicis praesunt, reddenda esse videtur. Constare enim debet, quid valeant, primo, ut famam prosperam acquirant, et discipulorum aequae ac aegrotorum fiduciam sibi concilient; deinde, ut civium favore adjuti magistri aequae atque discipuli mandato munere majori cum diligentia et religione fungantur. Adde, quod non raro e repetitione demum observationum et praeteriti morborum decursus conspectu, quibus partim diagnosis cum emendari tum confirmari, partim naturae et medicaminum vires rectius dijudicari solent, exercitationum clinicarum uberrimi fructus carpantur, et quid meditatione et indagazione novi inventum aut exploratione et periculo vel probatum vel refutatum fuerit, in usum aliorum converti oporteat. Quibus causis commoti in regionibus exteris virorum celeberrimorum non pauci, quid in ejusmodi institutis curae suae creditis experti fuerint, publici juris esse voluerunt de eruditorum societate et arte medica quam optime merentes.

Schola clinica, quae Dorpati floret, Augustissimi Imperatoris ALEXANDRI I. munificentia anno hujus seculi c1816ccviii. condita et nuper largissime amplificata, ultimum inter Autocratoris Rossiae liberalitatis monumenta locum sane non obtinet ita, ut a re haud absoum esse censeam, quantum respublica ipsi ad instituendos et erudiendos medicos jam debeat, in vulgus edere; et quum ante tres fere annos mihi contigerit, illius instituti sectionis medicae directoris munus in me suscipere; quid praeterlapso triennio in ista praecipue parte curae meae commissa euenit, uberius enarrare apud animum constitui. Quod ut cum fructu fieri possit, primo de oppido, in quo institutum nostrum conditum est, ejusque incolis, deinde de schola ipsa ejusque ortu atque progressu, tam de docendi methodo et praeceptis, quae sequimur, quaedam praemittere, tandem vero conspectum aegrotorum et historias morborum memoria dignissimorum a nobis observatorum, et quae sectionibus cadaverum in iisdem explorata habuerimus, subjungere liceat.

Quo in consilio exsequendo, me ad summam exemplorum egregiorum, quae exstant, pervenire non posse bene memor, indulgentia Tua, benevole lector, supersedere non possum. Quanquam enim, absoluto cursu academico, per duo decennia praxin medicam exerceens et libros volvens scrutando et docendo ingenium excolere studuerim, a scopo tamen, quem multi nostris temporibus jam attigisse gloriantur, me longe adhuc abesse probe sentio, atque ingenue profiteor.

De oppido Dorpatensi ejusque incolis.

Dorpatum nostrum sub $58^{\circ} 22' 47''$ latitudinis geographicae septentrionalis et $44^{\circ} 25' 45''$ longitudinis ab insula Ferro orientem versus situm, ideoque meridiano suo a Parisiensi t. h. $37' 35''$ in tempore differens, non infimum inter Livoniae oppida locum obtinet. Ad utramque ripam rivi majoris, qui lacum *Werzensem* (Würz-jerw) cum *Peipusensi* (Peipus) conjungit, *Embach* nominati, exstructum circuitu octo fere milliarium Rossicorum gaudet. Situm est in valli illius, ubi arctius contrahitur, ab utraque ripa per clivum ascendens, hinc solo ex inundationibus paludoso, illinc collibus patulis cinctum. Rivus iste enim mare Balticum altitudine 98' Par. superans et per varios flexus ab occidente ad orientem in amplo defluit agro, qui septentrionem et meridiem versus a planitie ad altitudinem 200' fere exsurgente, et variis anfractibus latam convallem illam continente, coerctetur. Haec undique sedi nostrae appropinquans et a meridionali parte in forma anguli progrediens collem constituit abruptam, quae *mons episcopalis* (Domberg) vocatur, quia olim castellam cum templo episcopali hic exstructum inveniebatur. Accuratius tamen hic situs cognoscetur, si, quod nobiscum benevole de Livoniae solo in universum communicavit Collega conjunctissimus *de Engelhardt*, brevibus exposuerimus. In itineribus et disquisitionibus geologicis a se institutis egregiam ille de structura telluris in genere ideam concepit, qua superficies ejus neququam per planum inclinatum, sed ubique per gradus majores (terrassenartig) sese extollit atque descendit ita, ut fluminum cursus ex ordine

ju i

eorum praecipue determinetur; haec enim in limitibus directionem immutant. Qua quidem idea exploratione Livoniae soli eximie confirmata, hic jam sequentes gradus (Terrassen) ejusdem ex stratis terrae parallelis sibi invicem impositis, et postea ex parte ablatis relictos quinque distinguere non dubitat.

Summum gradum in forma cacuminum latorum a 700 usque ad 900 pedes supra mare surgentium ex argilla arenata et fragmentis lapidis aegyptiaci (Granitgerülle) compositum invenit. Occurrunt in superficie ejus colles minores ad centum fere pedes elati et lacus inter se relinquentes, ex arboribus autem betulae et alni, rarius pini.

Alterum gradum priori similem, sed minoribus collibus conspersum, et in marginibus ab iisdem fere coronatum, ab altitudine 700' ad 500' usque subsidentem reperit. Planities hic occurrentes, humidis pratis et agris fertioribus tectae, solum primi gradus strato simile ostendunt, et alnis (propter agriculturam plerumque minoribus) abundant.

Tertius gradus a 500' ad 300' usque descendens ex arenae stratis formatur, quae latos Livoniae campos sabulosos constituunt, alendis silvis pini silvestris praecipue idoneos. In vallibus hujus plani ceterum hinc illinc calx in conspectum venire incipit. Rivi minores in priori terrae gradu ex lacubus exorti hic in majores confluant, et lacus ipsi in longum protracti majorem ostendunt ambitum amnium alveis similem.

Quartus gradus a 300' ad 150' usque demissus colles patulos pratis paludosis circumdatos cum silvis e variis arborum speciebus mixtis monstrat; in conspectum enim hic veniunt betulae et alni utriusque speciei cum sorbo aucuparia et pino abiete. Solum hoc fertilissimum ex nigricante, interdum rubescente, argilla conflatum larga calcis strata fundamento sabuloso imposita gerit.

Quintus denique et ultimus *gradus* arena scatet et paludibus tectus est. Ex vegetabilibus majoribus hic pinus silvestris cum junipero communi maxime conspicitur.

Itaque regiones oppido nostro proximae ex stratis terrae inferioribus quarti gradus prodeunt, valle ipsa, quo continetur, gradui quinto immissa. Strata planorum elatorum circumjacentium in superiori parte ex argilla et

arena mica (Glimmer) commixta, in inferiori autem ex sabulo et argilla vicescente et rubicante, sibi invicem impositis, constructa sunt, quibus lamina argillaceo-calcareo (mergehiger Kalkstein) crassitudinis 1 vel 2 pollicum subiecta est. Amnis *Embach*, qui oppidum secat, placidus molles e lacu *Werenza* ad lacum *Peipus* deducit undas, per spatium sexaginta duorum milliarium *Rossicorum* vix ultra pedes 25 descendens. Vernali tempore aquis inflatus ad 12 fere pedes insurgit, et inundatis agris, praecipue orientem versus, spatiosum constituit aequor.

Ulterius progrediens, septentrionem et orientem versus, jugum satis praecipuus inuenies, quod inter lacum *Peipusensem* et rivos a septentrione ad nostrum *Embach* defluentes directionem euronoti (a SO. ad NW.) sequitur. Aliud adscendens molliter jugum occidentem versus reperies. Hoc a meridie ad septentrionem tendens *Livoniam* ipsam in duas partes dividit. Planum inter utrumque relictum quarto soli gradui adiuuandum, quemadmodum crepido integra fluvii ipsa, paludibus repletum est, et humo palustri (*Turfa*) vel in vicinia oppidi nostri abundat. Pergit hic tractus in altera quoque ripa versus ortum hibernum ad lacum usque *Peipusensem*, ideoque ventis humidioribus, cauro scilicet et vulturno, accessum ad sedem nostram liberiolem concedit. Ceterum, quamquam a partibus reliquis solo alto venti magis arceantur, campus tamen longe patet, et silvae majores in vicinia non reperiuntur.

Ex allatis clima loci ex parte etiam dijudicari poterit. Deficientibus enim observationibus meteorologicis cum diligentia institutis commemorare sufficiet, *barometri* adscensum inter 28 et 30 pollices *Lond.* variare et *thermometrum Reaumurianum* aestatis tempore ad $+ 30^{\circ}$ interdum extolli, hiemali autem ad $- 30^{\circ}$ fere deprimi. Ceterum menses *Januarius* gelidus et obscurus, *Februarius* paullo nitior et serenior, *Martius* varius, *Aprilis* inconstans, *Majus* siccus et frigora nocturna dicens, *Junius* et *Julius* calidi et non raro imbriferi, *Augustus* frigidiusculus, interdum jam noctes glaciales ferens, *Septembris* non raro mollis, *Octobris* varius, plerumque jam satis frigidus, *Novembris* et *Decembris* tandem nivosi esse solent. Interim hic ordo non semper est constans, et ultimis praecipue annis turbatus esse vide-

batur, quum hiemes annorum hujus seculi XVII. XVIII. et XX. solito longe mitiores essent, et loco nivis non raro imbris incederent.

Quod oppidi *dispositionem* ipsam attinet, plateae sunt satis amplae et maxima ex parte lapidibus munitae. Aedificia partim e saxis et lateribus, partim e ligno constructae plerumque non nisi una contiguatione gaudent. Maxima eorum pars propter mollitiem humidi soli cratibus ligneis imposita est, et ex cellis subterraneis canales prodeunt, qui aquam collectam ad amnem deducunt. Exstant in universum 762 domus, eaeque 118 lapideae et 644 lignae.

Incolitur Dorpatum nostrum praecipue a *Germanis*, *Esthonibus* et *Rossis*. *Illi* sunt partim nobiles, partim muneribus praefecti, partim mercatores, partim opifices. Numerantur tria et quod excurrit millia. *Esthonum* plebis maximam partem constituentium copia illorum paullo major est. Ceterum utraque natio e pluribus seculis iude mixta, matrimoniis juncta, eadem sacra sequens, nunc haec nunc illa lingua utens, in oppido ipso vix amplius discernitur. Stirpis *Rossicae* non nisi milites et mercatura aut manuum opera lucrum quaerentes hic reperiuntur; numerus eorum, qui sedem fixam in oppido habent, mille circiter aequat. Accedant *Letticae* gentis ducenta forte adhuc capita. E censu anni 1616cccxix. praeter 1150 milites, partim stipendia facientes partim invalidos, incolarum numerus ad 7287 evehebatur, quorum 3413 masculi et 3874 feminei erant sexus ita, ut multitudo in universam hodie octo millia superet. Dei cultu distincti erant sequenti modo:

Professionis rerum divi- narum.	Sexus mascul.	Sexus femin.	Numerus in universum.
Luthericae	2767	3217	5984
Graecae	502	571	1073
Romano- Catholicae	49	10	59
Calvinianae	11	—	11
Hebraicae	1	—	1

Nota: Catalogi hujus summa cum supra indicata quidem non plane convenit. Nesciens vero, ubinam error in calculo subsit, isdem communicare non dubitavi, qualem in tabulis publicis curiae inveni. Fortasse, quae desunt 159 capita formulae dubiae erant.

Nobiles vitam satis lautam ab aerumnis liberam agere et aestivali tempore, relicto oppido, in agris degere solent. *Mediae classis* incolae

nunc largo nunc tenui utantur victu. *Vulgus* autem ignaviae et socordiae deditus magna ex parte angustiis premitur et inopia conflictatur; accedit, quod libidini et potui non pauci indulgeant.

Allata si compones, mirum videri non potest, *morbos* quoque ex situ loci et vitae genere procreari frequentiores. Quibus annumeramus rheumatismos, psoram, taeniam, rachitidem, scrophulas et atrophiam infantum, scorbutum, leucophlegmatiam, hydropem, phthisin et luem veneream longe vagantem et sub diversissima forma serpentem, non raro, complicationis causa, morbi suecici *Radesyge* vocati faciem prae se ferentem. Praeter endemicos hosce morbos saepius et epidemice grassantur febres catarrhales, typhosae, intermittentes, praecipue irregulares et hemitritaei, nec non exanthematicae. Moneo tamen, elapso triennio nos praeter morbos annuos non nisi febres intermittentes, scarlatinam, morbillos et tussim convulsivam epidemice manantes vidisse. Silentio hic non praetereunda est pustula livida, quae morbo sibirico simillima et ex causis ignotis exorta, quamquam in oppido ipse rarissime occurrat, inter rusticos tamen hujus provinciae frequenter grassari solet. Exemplum infra a nobis afferendum naturam ejus ante oculos tibi ponet.

Liceat ad judicandam loci salubritatem nunc subjungere catalogum ultimo decennio in hoc oppido matrimonio junctorum, neonatorum et mortuorum, omissis tamen Ruthenis, quod in tabulis eorum ecclesiasticis oppidi et regionum adjacentium incolae non distinguuntur:

Anni.	Paria matrim. junctorum.	Nati.		Mortui.	
		Sexus virilis.	Sexus feminei.	Sexus virilis.	Sexus feminei.
1811	60	116	108	90	83
1812	57	110	117	98	73
1813	45	111	102	106	135
1814	54	105	109	128	111
1815	61	109	99	102	95
1816	59	112	98	106	77
1817	94	105	111	91	95
1818	68	111	126	89	105
1819	46	114	108	112	101
1820	45	129	109	84	95
Summa	595	1122	1087	1006	970
		2209.		1976.	

Scholae clinicae, quae Dorpati floret, origo, historia, et hodiernae conditionis imago.

Augustissimi Imperatoris *PAULI I.* jussu fundata, et Autocratoris *ALEXANDRI I.* munificentia largissime aucta litterarum Universitate Dorpatensi, mox annis hujus seculi sexto, septimo atque octavo *schola clinica* quoque condita coepit. Sapienti consilio hunc in finem antistites locum in colli jam memorato episcopali elegerant, qui tum accessu aëris libero cum prospectu amoeno prae ceteris operi idoneus esse videbatur. *Aedificium* hic exstructum longitudinem 208, latitudinem 54, et altitudinem 38 pedum Rhenicorum habebat, in quo exurgebat adhuc tectum 24 pedum. Frons undecim fenestrarum serie munita aquilonem (NNO.) spectans triplici contignatione composita erat.

Sic opere finito, et *infima parte* usui oeconomico, *media* administrorum habitaculis et scholae obstetriciae, *superiori* autem clinicae medicae atque chirurgicae destinatis, anno hujus seculi octavo domus recipiendis aegrotis tandem aperta est, et *Professores Clinices, Chirurgiae et Artis obstetriciae*, qui moderatorum provinciam in se susceperant, *medico auxiliario, obstetrice, oeconomio, aegrotantium curatricibus, famulis et ancillis* electis, exercitationes clinicas, ab anno 1610ccxiv. Academia, modo fundata, non nisi privatos inter parietes institutas, jam publice in hoc loco habere coeperunt. Eodem fere tempore praeter apparatus quotidiano usui medico chirurgico et obstetricio destinatum ex munificentia Augustissimi Autocratoris nosodochium nostrum collectione machinarum quoque chirurgicarum maxime completa et eleganti in usum habendarum praeflectionum locupletatum fuit.

Sumtum in singulos annos 1500 uncialium Rossicorum (Rubel) aerarium publicum tunc praebuit, et initio quidem sustentandae rei pecuniae istae suffecerunt. Praeterlapsis vero duobus annis, valore syngrapharum mensae publicae imminuto, institutum nostrum numerum penuria preni coepit ita, ut aes alienum contrahere cogeretur. Quare aegrotorum numero imminuto, anno 1610ccxv. praecipue milites pugna vulneratos, sumtibus aerarii castrensis alendos, excepit, iisque auxilium non spernendum tulit. Nihilominus, arctioribus quidem finibus circumscriptum, ad annum hujus seculi XVII.

medicos formare perrexit, donec sequenti anno, auctore Illustrissimo Comite *de Lieven*, Curatore literarum Universitatis Dorpatensis meritissimo, redditibus Academiae in universum multiplicatis, scholis clinicis quoque pecuniae vis duplex assignaretur. Sic in usum sectionis medicae aequae ac chirurgicae 6000, obstetricinae vero 3000 uncialium Rossicorum convertere, et ordinem instituti omni ex parte emendare evenit. Hinc anno 1809 scriptis ex parte legibus novis, et rerum modo ad majorem perfectionis gradum evecto, *pharmacopolium* quoque *domesticum* sub auspiciis Professoris Chemiae et Pharmaciae compositum, *pharmacopolae* autem in domo ipsa locus concessus est. Tandem praeterito anno, *Augustissimi Imperatoris* jussu, alumnos medicinae operam naventes quadraginta sumtibus publicis sustentare, et instituti redditibus quotannis 7800 uncialium Ross. summa auctis, nosocomium ipsum amplificari decretum est. Quem in finem, conclavibus binis sub tecto reperiendis cubiculis duobus majoribus adjectis, jam omnia, quae ad scholarum nostrarum lines proferendos requiruntur, praeparare inchoavimus. Restat, ut *funerario* quoque e domo ipsa removendo alius concedatur locus, et *balneum* pluribus adhuc applicandae aquae modis adapte-
tur. Sed accuratius jam describamus nosocomii nostri dispositionem hodiernam.

In *inferiori contignatione ex parte subterranea* septentrionem versus octo reperiuntur *cellae in usum oeconomicum*, versus meridiem contra *servorum domicilia, pistrina* et *lavatorium*. *Altera contignatio* amplectitur in parte anteriori *institutum obstetricium* cum quatuor cubiculis, *habitaculum medici auxiliaris, vestiarium* et *funerarium*, in parte posteriori autem *cubicula obstetricis et oeconomici, balneum* et *culinam*. *Tertia recipiendis aegrotis* designata est ita, ut pars orientalis *sectionem chirurgicam* et occidentalis *medicam*, interjecto *pharmacopolio*, constituat. Illarum quaevis *ocum* majorem et *sex cubacula minoru* continet. In *summo quatuor cellae* istae, quarum duae nuper demum extractae sunt, reperiuntur; prima *habitationi pharmacopolae*, altera *habendis praelectionibus*, tertia *conservando apparatusi chirurgico* et quarta *suppellectili obstetricio* destinatae.

Ipsa *aegrotorum cubicula*, satis alta, lucida et ampla, canalibus instructa sunt, quibus partim aër corruptus per tabulatum egeri, partim reocus per fornacem adduci possit ita, ut tempore hyemali eorum ope et expurgatio et calor simul egregie adjuvetur; qui enim advehitar aër, quamquam fornacem transiens calefieri solet, carbones tamen non tangit. *Latrinae portatiles* in muro reclusae et odorem per meatus in alto exhalantes a tergo per pomœrium purgantur.

Recipiendis aegrotis in parte tum medica cum chirurgica *lecti decem*, *excipiendis gravidis et parturientibus* in sectione obstetricia contra non nisi *quinque* locusque designati fuerant. Jam vero, quod supra monuimus, ex munificentia *Imperatoris Augustissimi* pecuniae vi aucta, numerus eorum brevi augetur ita, ut in posterum schola clinica medica aequae ac chirurgica *quindocim*, obstetricia autem *octo* sustentare queat. Aptissimum iisdem excipiendis praebent locum oeci illi majores, in quibus adhuc partim suppellex chirurgica et medica conservatur, partim praelectiones habentur, quam in futurum tempus excipiendis instrumentis et auditoribus cubicula nuper extracta destinata sint.

Quod *administrationem* attinet, *Professorum* supra nominatorum quisque sectionis suae praeses est et, quae ipsi proficua esse videntur, imperat. *Medicus auxiliarius* illis adjunctus in domo ipsa habitans ut omnia, quae ordinata sunt, rite absolvantur curat, et, si subito quid acciderit, primus auxilium ferre properat. *Obstetrix* in parte sua praesens gravidarum parturientium et puerperarum curam gerit. *Oeconomus*, quae ciborum et balnearum praeparationem, vestitus comparationem, utensilium coëmptionem et linteorum pariter atque totius domus repurgationem spectant, gubernat et expensarum rationes conficit. *Pharmacopola* secundum formulas quotidie scriptas medicamenta e praeparatis sub auspiciis Professoris Pharmacinae in laboratorio chemico Academiae elaboratis componit. *Quinque aegrotantium curatrices* perpetuo in cubiculis versantur, ut medicamenta et victum aegris praebeant, iisque in omnibus opem ferant. *Famuli* duo autem, totidemque *lotrices* et *coqua* in absolvendis negotiis oeconomo obsequium gerant. Ceterum ut omnia communi vinculo contineantur et ad finem rite

dirigantur, e Professoribus ordinis medici supra memoratis quotannis unus eligitur, qui *summum* omnium rerum *moderamen* in se suscipere tenetur.

Qui in nosocomio commorantur *aegroti* triplici victu utuntur, aut *tenui*, aut *medio*, aut *firmiter*, quotidie vario. Ceterum, quum maxima eorum pars infimae populi classi annumeranda sit, tales praecipue cibi praebere solent, si morbi natura permittit, quales apud illum in usu sunt, ne ex inmutata nimis consuetudine detrimentum capiant, aut oblata respuant. Propterea sequentem diaetae ordinem moderatoribus constituere placuit:

1) tenuioris victus

jentaculum sit jusculum carnis, aut ex avena excorticata vel ex lacte praeparata sorbitio;

prandium constet ex jusculo carnis adjectis radicibus levioribus aut herbis aut hordeo aut oryza;

coena congruat cum jentaculo, aut, quod praecipue amant, cerevisiam affuso lacte (Bierkaese) offerat.

2) victus medii

jentaculum sit jusculorum supra memoratorum portio major;

prandium componant carnis coctae (diebus festis assatae) unciae tres et juscula variis cum oleribus aut oryza;

coena constet e jusculorum tenuioris victus portione majore.

3) victus firmioris

jentaculum sint pisces minores salsi vel butyrum cum pane.

prandium conficiatur e carnis coctae vel assatae unciis sex et brassica vel ervis vel lentibus vel solani tuberibus;

coena praeparetur e lacte coagulato, farina aut alica in pultis formam reductis vel tuberibus solani.

Qui victu leviori utuntur, praeterea *panem album e tritico* praeparatum *minorem*, qui victu medio, *panis e similagine cocti libram unam*, et qui firmo, *panis e secali confecti libras duas* quotidie accipiunt. Ceterum victus ratio, si morbus exigit, non raro medicorum jussu mutari solet, alimentis, quae minus conveniunt, omissis, et quae praecipue conducunt, additis.

Potui inserviant aqua nunc pura nunc oxymelle aut vino mixta, ptisanæ, decocta, cerevisia et alia, quæ morbo respondent.

Vestimenta et latices pro anni tempore aut morbi indole partim e linteo partim e laneo panno et *strata cubilium inferiora* e seta equina confecta sunt.

Cuivis *lecto* adstat *trapezium* ad deponenda vasa et utensilia nec non *sella*; in pariete autem prope cubile suspensa est *tabula*, cui, præter morbi formam, nomen et ætas ægroti cum medicamentis et diæta, quibus utitur, inscribi solent.

Pecuniæ tandem, quæ ad finem anni superest, vis in coëmendos *libros* instituto utiles impenditur.

Scholæ clînico - medicæ ratio.

Sectionis instituti nostri *medicæ* ab anno inde c180cccxvii. curam gerens, quid in hac elapso triennio susceptum fuerit, progressuum memoratorum testis lætus uberius nunc exponere conabor.

Triplex in componenda re consilium exsequendum mihi esse videbatur: *discipulorum institutio, artis ipsius promotio et auxilium miseris ferendum.* Hunc in finem ægrotos tum in nosocomio *commorantes* (stationäre) cum certis temporibus tantum *accedentes* (ambulirende) quemadmodum ab antecessoribus decretum erat, tractare continuavimus. Illis gravioribus morbis decumbentibus omnia, quæ ad sanationem faciunt, suppeditantur, his levioribus malis laborantibus consilium et medicamenta præbentur ita, ut nunc accuratius morborum decursus observandi nunc obiter diagnoseos et curæ instituendæ occasio satis larga discipulis, ægrotis vero auxilium, quantum licet, uberrimum offeratur. Porro hic rerum ordo simul id quoque commodum affert, ut ex iis, qui non nisi consilii petendi causa accedunt, institutioni præcipue aptos morbos offerentes eligi et in nosocomio retineri possint. Ceterum ambulatibus quoque, si increscente malo domum relinquere non possunt aut curæ causa non debent, auxilium

privatos inter parietes non deest, quum illi, qui curam eorum in se susceperunt, eosdem adire teneantur. Ne vero subsidia ad curam cujusvis generis absolvendam desint, praeter apparatus omnibus nosocomii sectionibus communem, in schola nostra adhuc instrumenta chirurgica praecipue necessaria, machina electrica, apparatus galvanicus, stethoscopia a Cel. Laennec inventa, suppellex instituendis fumigationibus apta et alia conservantur.

Exercitationibus habendis quotidie, ne diebus quidem festis exceptis, una vel altera hora *ante meridiem* dicata est, gravioribus in morbis *adventu repetito* praecipue ad vesperam. Aegroti insuper ambulantes bis per septimanam tempore meridiano conveniunt, urgente necessitate tamen et alio tempore quotidie admittuntur.

Discipulorum duplex est classis, eorum scilicet, qui *aegrotos tractant* (Practicanten) et eorum, qui *morborum decursum tantum observant* (Auscultanten). *Illis* quantum licet cura ipsa creditur. Quem in finem primo sub auspiciis nostris aegrotorum examen instituunt, diagnosis et prognosin exhibent et tandem indicationes formant. Tum de methodo eligenda cum iisdem deliberatur, et consiliis collatis omnibusque rebus rite pensatis, ab ipsis componitur formula a nobis corrigenda et subscribenda, regimine simul atque diaeta ordinatis. Ex illo tempore aegrotos cum diligentia ulterius observare, examinare, iisque opem ferre, historiam autem morbi chartae sedulo mandare tenentur. Quid novi invenerint post reditum nostrum referunt subjuncta de methodo continuanda aut mutanda sententia. Deliberatione sic repetita interpretandorum morbi phaenomenorum, exponendorum artis praeceptorum, cautionum, quibus utendum est, comparandarum, et effectuum naturae et medicaminum recte judicandorum larga suppeditatur materia. *Illi*, qui auscultandi causa tantum conveniunt et praeceptis therapiae generalis saltem imbuti esse debent, fructum vix minorem ex observatione morbi symptomatum, effectus curae et expositione regularum therapeuticarum carpunt, et sensim sensimque, ingenio exploratione naturae acuto, ad praxin ipsam exercendam praeparantur. Ceterum ut verum rei pretium ponere discant discipuli et omnia juste metiantur; phaenomena remediis debita a morbi symptomatibus rite distinguantur et quid naturae, quid arti

tribuendum sit, explicetur, praecipue nobis curae est ne malum quidem illorum effectum tacentibus. Etenim certissime persuasum habemus, distinctionem illam neglectam errorum medicorum fontem esse inexhaustum. Quoties nimirum salutaria naturae conamina et felicem morbi exitum non nisi curandi methodo tribuunt et inflati superbiunt inexperti! quoties organismi vires alto supercilio spernentes eventum sibi vindicant, quem forte inepta cura impediverant potius et difficiliorem reddiderant! quoties porro symptomata remediis provocata non nisi morbo tribuunt, hisque alia opponunt! quoties incommodis curae ineptae occurrunt via adhuc magis inepta illorum causam ignorantes! Hinc illae lacrymae, hinc illa inanium observationum farrago, hinc illa molesta sententiarum contradictio, hinc perniciosa illa opinionum confusio! Exempla aegrotorum, qui a medicis satis longe vexati, iisdem repudiatis, brevi sponte convalescentes surrexerint, sane non sunt rara. Ad haec igitur discipulorum attentionem dirigere studemus, ne in errorem inducti et praconceptis opinionibus, postea vix extirpandis, imbuti in genus humanum aliquando saeviant, bene memores juniorum medicorum imprimis ad agendum primum et arripiendis hypothesis praeter ceteris faventem esse animum. Objicies forte, non nisi multiplicato aegrotorum aspectu et experientia aucta phantasiam rite compesci et errores medicorum evelli, ideoque discipulos ad majora nosocomia potius esse ablegandos, quam singula morborum exempla institutioni rectae non sufficiant. Caveas ne fallaris! Ut cum fructu observationes instituuntur, cautione summa opus est. Non sufficit materiei copia, sed in singulis rite explorandis et inter se componendis primo ingenium exercentur necesse est, ut uberiori occasione recte uti possit. Experientia enim edocti scimus, tironem ex accurata observatione singulorum aegrotorum et diligenti perscrutatione omnium morbi phaenomenorum longe majora commoda capere, quam ex levi ingentis eorum numeri aspectu et veloci per nosocomia majora passu non nisi experto jam medico fructuosus. Quare schola nostra discentibus minus instructis praecipue opportuna esse videtur. Ubi autem regularem tantum morbi decursum novisse non sufficit, sed variis quoque rebus externis, vitae genere, diaetae erroribus et insolitis casibus perturbatum perspicere juvat; aegrotorum

ambulantium numerus non exiguus discendi facultatem aequae aptam praebet, ideoque magis exercitatis etiam institutum nostrum usu commendatur. Quamquam vero, neglecta miseratione intempestiva, exempla institutioni praeter ceteris apta minus frugiferis praeferre studeamus, tamen consilium nostrum non semper exsequi possumus, quum, deficiente nosocomio civili, schola clinica miserorum ultimum refugium esse solet.

Studiosorum medicinae eandem frequentantium *numerus* elapsis jam tribus hisce annis sat magnus erat; primo enim XLIII. secundo XLIX. et tertio XLVIII. exercitationum nostrarum participes erant, quorum non pauci partim in regionibus exteris studia sua ulterius persequuntur, partim in imperio Rossico medicorum munere nunc funguntur. Liceat mihi hic nomina eorum memoriae prodero. Sunt haec: *Alimann*, Pernaviensis, *de Baehr*, Livonus, *Baumann*, Revalensis, *Baumann*, Rigensis, *Baumann*, Gedanensis, *Beyersdorf*, Revalensis, *Bohland*, Curonus, *Bronsert*, Rigensis, *Cornelius*, *Cummerow*, Livoni, *a Dehn*, Esthonus, *Pleischer*, Mitaviensis, *Fowelin*, Livonus, *Frahm*, Dorpatensis, *Frohbeen*, Mitaviensis, *Gerstfeldt*, Livonus, *Gregorius*, Glogaviensis, *Großschupf*, Saxo, *Günther*, Borussus, *Gundeluch*, *Haarmann*, Curoni, *Hahn*, Livonus, *Haller*, Esthonus, *Hartung*, Curonus, *Hasenwinkel*, Borussus, *Henning*, Rigensis, *Henzelt*, *Herrmann*, Curoni, *Herrmann*, Rigensis, *Hinsch*, Livonus, *Hoeppener*, Revalensis, *Hoffay*, Livonus, *Kaeding*, Rigensis, *Kuorre*, Dorpatensis, *de Koerber*, Mitaviensis, *Krausp*, *Kriech*, Revalenses, *Kapffer*, Curonus, *Kyber*, Rigensis, *Kymenthal*, Livonus, *Landesen*, Esthonus, *Langerhansen*, Curonus, *Maconi*, Viburgensis, *Mahuke*, Pernaviensis, *de Meyer*, Saratoviensis, *Moritz*, Livonus, *de Muchau*, Petropolitanus, *Müller*, Germanus, *Neumann*, Curonus, *de Nyberg*, Revalensis, *Pandan*, *Perbandt*, Livoni, *Petsche*, Saxo, *Petzold*, Esthonus, *Prehn*, Rigensis, *Prietz*, Borussus, *Rudecky*, *Reymanu*, *de Rhode*, Rigenses, *Roggenbau*, Plescoviensis, *Roloffs*, Curonus, *de Sabler*, Moscoviensis, *Sudoffsky*, Rigensis, *de Schubersky*, Livonus, *de Schwald*, Curonus, *de Seidlitz*, Revalensis, *Sielmann*, Livonus, *de Sievers*, Esthonus, *Spoerer*, Livonus, *Steinbach*, Esthonus, *de Stephan*, Petropolitanus, *Thverner*, Dorpatensis, *Tideboehl*, Esthonus, *Wachter*, Moravus, *de Wagner*, *Walter*, Curoni, *de Welzien*,

Petropolitanus, *Werther*, *Wichert*, *Rigenses*, *Wilke*, *Dorpatensis*, *Winkler*, *Livonus*, *Wolff*, *Rigensis*, *Wolter*, *Revalensis*, *Wulff*, *Mitaviensis*.

Praeceptorum, quae sequimur, ratio.

In magno illo virorum, qui medicinae theorias condere studuerunt, opinionum discrimine, in ingenti virorum commentorum copia, in iniqua argumentorum contradictione, quid multa? in tanta rerum medicarum confusione, qua quisque suam sequitur viam et alter alterius sententiam deridet, quem ipse ingressus sim transternam, brevibus hic exponere juvabit.

Medicinae campum emensus isto tempore, quo pathologi, qui humoribus primas in organismo partes tribuerant, luctarentur adhuc cum illis, qui non nisi a nervis omnia regi contendebant, quo theoria incitationis palmam illis praeripere studens mox a naturae philosophis compesti incepit, commentis diei neglectis, ad naturam ipsam confugere decrevi. Perlustratis hunc in finem nosocomiis majoribus, quae in Germania et Francogallia florent, praxin medicam tandem partim in solo patrio partim in Rossia exercere et, quomodo medicorum placita cum natura congruant aut ab eadem discrepent, observatione ad lectum aegrotorum instituta experiri suscepi. Quamvis enim scholarum dogmatibus non multum fidei haberem, tamen, Professoris munere primo Vitebergae postea Casani fungens, eorum notitiam diligenter contrahere studui. Sed, quod historia artis nostrae jam satis superque docuerat, ista partim manca, partim sterilia, partim periculosa, partim absurda esse, eo magis cognovi, quo uberior morborum inter diversissimas gentes et hominum classes observandarum occasio mihi se obtulit. Probe inquam cognovi, neque humores neque solida morborum fontem unquam solum esse, sed utraque totum constituere, cujus partes perpetuo nexu inter se cohaerent et simul vim suam exerunt; probe cognovi, incitationis legi saepissime, sed neutiquam semper organismum parere, eamque altiori principio originem debere; probe cognovi, organismum duplicem quidem ostendere faciem, somaticam et psychicam, sed materiam et vim singulas non affici, verum se invicem continentes simul mutari; probe cognovi, in cor-

pore nostro systemata quidem discerni, sed actiones earum in rerum natura nec separari nec sibi oblectari; probe tandem cognovi, res externas physicis et chemicis viribus in organismum agere, sed ex elementis hucusque indagatis effectum perperam deduci. Sic *theoriam medicinae* generalem veram neque conditam adhuc esse, neque extrui jam posse, certissime mihi persuasum fuit. Si enim *theoriae* nomine non nisi nexus causalis omnium phaenomenorum explicationem perfectam insignire licet, ad summum singulorum morborum, neutiquam vero universi studii medici talem habebimus, quum in rerum natura tot tantaque nos adhuc lateant. Quis enim rerum, quae in organismum agunt, indolem omni ex parte jam perspexit, quis organismi mutationes per omnes recessus hucusque persecutus est? Nonne ubique cognitionis nostrae hiatus occurrunt? Deest ergo materia extruendo aedificio sufficiens, et qui ad absolvendum opus jam accedere audent, lacunas signentis explere coguntur, cognitiones hypothesibus compensantes. Arrisit mihi quidem et adhuc arridet sententia eorum, qui non nisi communi vinculo naturam organicam et anorganicam contineri, ex iisdem staminibus conflare et iisdem legibus regi contendunt principia vitae ficta respuentes; sed elementis rudioribus: oxygenio, carboneo, hydrogenio, azoto actiones systematum organismi provocari censentes eodem modo peccare videntur, quo veteres ex acida et alcalina materia rem explicantes. Quis enim, inventa chemiae recentissimi temporis ante oculos habens, quibus doctrina haec innovari coepit, non videret, effectus materialium compositarum non singulis elementis sed consociationi eorum, quae proportionis ordinem sequitur, tribuendos esse. Singula qui praevalere et impetum in organismum facere docent, egregie falluntur. Quis enim est, qui concederet, aquam aut oxygenii, quod quantitate, aut hydrogenii, quod volumine superat, ope vim in corpus nostrum exercere? Quis acidi hydrocyanici effectum ex azoto, aut carboneo aut hydrogenio explicaret? Quis vegetabilium narcoticorum et acrium efficaciam e singulo quodam elemento adhuc repeteret, quum recentissimorum temporum explorationibus illorum stamina plerumque eadem esse in luce positum sit? Nonne ex elementis iisdem vel eadem proportione conflatis corpora diversissimae virtutis in conspectum prodire

videmus? Num acidum oxalicum vi venenata praeditum, ex aequalibus voluminibus oxydi carbonici, acidi carbonici et aquae compositum, aut alteri harum partium constituentium proximarum, aut alteri earum elemento effectum suum debet? At illae in aequilibrio versantur, et haec singula minus hic praevalet, quam in productis aliis longe minori in organismum vi praeditis. Frustra igitur in explicanda re ad singula materiaram stamina refugunt, praecipue quum singula vix recipiantur ab organismo, sed assimilationis actu vario modo misceantur et subigantur. Accedit, effectum quantitatis eorum haud respondere, et quod nunc maxima copia absque ullo detrimento corpus intrat principium cum aliis elementis minima copia conjunctum tantas, quantas ei tribuunt vires, nullo pacto exserere posse. Si pristinae haec ex causa theoriae vanae de oxygenii virtute in tollendis morbis venereis et febribus jam dudum corruerunt, et recentiores sane virtuti singuli cujusdam elementi superstructae futuro tempore dignitate destituentur. — Sed longe pejus agitur de arte nostra, si (quod nuper adhuc fecerunt viri quidam fama vigentes) elementorum quae non exstant praesentiam fingunt, et auctoritate sua discipulos fallunt, narcoticam e. g. vim non nisi azoto tribuentes. Ex iisdem elementis, proportione interdum vix mutata, vegetationis actus nunc gummi, nunc amylo, nunc saccharum, nunc resinam, nunc oleum, nunc camphoram, nunc acidum, nunc corpus alcaloideum venenatum producit et alterum facili negotio in alterum immutat. Nihilominus quodcumque eorum vi propria gaudet. Chemicorum nemo certe quod inter effectum principii coffeae et nucis vomicae (Kaffeestoff und Strychnin) discrimen obtinet, ex proportione elementorum explicare audebit, quum in utroque eadem esse videatur, quamquam effectus longe differant. Si igitur mixtorum corporum vis in organismum non nisi concursui staminum et combinationi debetur, si, quod experientia docet, saepissime a forma, nunc aërea, nunc liquida, nunc solida dependet, si densitate et cohaesione illorum non raro mirum in modum mutatur; theoria elementorum praevaletium virtuti superstructa omni ex parte irrita redditur eo magis, quo majoribus simul zoochemia tenebris premitur, quippe quam nostris temporibus novatio forte major ac phytochemiam ipsam manet.

Organismus, qui in medio loco inter naturam materialem et non materialem positus est, et ab hac aequè afficitur ac ab illa, et in utramque vim suam exserit, sanè crassam ex elementorum rudiorum commercio functionum explicationem respuit. Ad subtiliora certe, *imponderabilia* nempe, quae corporum inconcreto, quantum ex phaenomenis conjicere licet, jungunt, praecipue confugiamus necesse est. Haec principia, quae neque spatio colligi neque gravitate compesci possunt, naturam materiei quodammodo jam exuerunt, ideoque ad altiorem rerum ordinem incorporearum scilicet propius accedunt, et partes in organismo primarias agere videntur. Sed proh dolor! interiorum eorum indolem ignoramus et non nisi leges quasdam, ex quibus vim exercent, experientia edocti cognovimus. In his ergo rite indagandis acquiescere tenemur, et absque detrimento artis jure acquiescere possumus. Ne vero credamus easdem omni ex parte jam indagatas esse! Quotidie enim experimentis et observatis cognitio nostra augetur, et quod ex longo tempore in dubium vocatum non fuit, inventis saepe novis refutatur. Nonne veteres arterias aërem ducere per secula docuerant, donec celeberrimus *Harvey* sanguinem ab iisdem geri ostenderet? Nonne ex illo inde tempore circulationem mutua arteriarum contractione et expansione absolvi crediderunt, donec cel. *Parry* experimentis diametrum eorum haud immutari monstraret? Nonne sub respiratione sanguinem oxygenio imbui putarunt, donec cell. *Allen* et *Pepys* functione illa non nisi carboneum removeri probarent? Nonne colorem sanguinis rubrum subphosphati ferrico albumini juncto deheri persuasum habuerunt, donec cel. *Brande* pigmentum longe alius naturae in hoc latice inveniret? Prudenti igitur et cauto in componendis rebus illis consilio opus est.

Philosophiae vero in explicandis rebus physicis adhibendae duplex est modus. Partim enim e phaenomenis observatione cognitae naturae leges derivare student, partim ex ideis, quid in rerum natura evenire debeat, statuere conantur. Ille modus omnino probandus a pristinis inde temporibus in usu fuit, et sensim sensimque peritiam auxit, sed ad rem omni ex parte dilucidandam hucusque non sufficit. Alter, quem recentiores elegerunt naturae philosophi, dum universum amplectens notionibus omnia ac singula in

ordinem redigere tentat, experientiae expertes quoque ad scopum perducere promittit, sed quod dolendum, specie fallit. Quemadmodum enim panorama non ad naturam, sed e phantasia delineatum vanam imaginem praebet; sic mundi quoque adumbratio ingenii vi producta de indole rerum vera certiores nos non reddit etiamsi singulis in locis cum natura congruere videatur, et eo magis in errorem inducit, quo majori acumine fictionem notitiae ipsi intexit.

En causae, quibus comnotus priorem potius, quae lente quidem sed tuto ad finem exoptatum aliquando nos deducet, viam et, repudiatis scholarum decretis, non nisi experientiam omnium temporum atque locorum observatis confirmatam ducem elegerim! Experientiam, inquam, non empiriam; rationibus enim mens humana carere non potest. Ideoque quid observatione et experimento inventum esset componere quidem et ad formulas summas reducere, simul vero periculum fallax esse, probe tenere studui. Sic praecepta haec fere sequenda esse cognovi.

1) *Organismi partes constituunt totum, cujus membra congruunt actione sua ita, ut ipsum conservetur.*

Quae fortuito congeruntur tam diu non sunt organica, quamdiu ordo ille non observatur, sed organica redduntur, ex quo harmonia illa in conspectum venit. Sic generatione aequivoca mucores et infusoria nascuntur, sic procreatione et propagatione perfectiora formantur. Organicum contra corpus redit ad fontem communem, indigestam scilicet molem, si partes ejus separatae sphaeram suam relinquunt, et ordo ille invertitur. In machina arte composita singulae quidem partes in communem quoque sibi junguntur finem, sed neque singulae ad conservandum totum neque totum ad conservandas singulas conspirant: pars laesa neque ceteris labem inducit, neque actione reliquarum in integrum restituitur. In organismo contra totum actione singularum et singulae actione totius carere non possunt. Auferas pulmonem aut ventriculum, et omnes reliquae partes dissolventur; tollas irritabilitatem totius, et pulmo quoque atque ventriculus negotiis suis fungi cessabunt. Interior ergo in organismo conspicitur partium nexus idque propterea, quod systemata totum corpus constituentia ad omnia singula ejus organa penetrant, ipsa vario concursu suo componunt et

vinculorum instar inter se jungunt. Efficitur ergo peculiaris hic nexus miro illo, quo organismus formatur, typo. Consideremus jam res in sphaera organica gestas primarias experientia cognitae.

Si in rerum natura *physica* mixtio materiei, in *incorporea* autem idea primum locum obtinet, in *organica* contra forma praevalet. Hinc ipsa utramque illam conjungit, et in medio loco posita ab utraque afficitur et in utramque reagit. *Forma* enim e typo illo constituta organorum consensus praecipue efficitur, ideoque regnum organicum ipsum jure *regnum formationum* appellari meretur. Noli discrimen in elementis quaerere. Quae in organismo occurrant, in rerum natura externa quoque inveniuntur. Ex hac ille arripit, qua indiget, eiue reddit, qua abundat, materiam; nam proprium organismo principium analysis chemica lucusque non reperit. Elementa igitur a natura anorganica oblata simulac ex idea totius formam typo respondentem induunt, sphaeram organicam constituunt, forma autem destructa, ad fontem communem redeunt. A formatione ergo agenli quoque modo organismo proprius dependebit. Si enim in regno anorganico non nisi *motus*, in incorporeo *arbitrium* valet, in organico mundo locum medium occupante *vita* in conspectum venit, cujus phaenomena motum ex arbitrio ordinatum eo magis ostendunt, quo major perfectionis est gradus, ad quem organismi forma evecta est, idque non solum in integris, sed etiam in partibus eorum singulis, cerebro v. c. et nervis. Sic vita nititur formationis actu, et hoc cessante ipsa perit. Materia igitur in organismo nunquam quiescere, sed perpetuo processu plastico moveri debet. Hinc quod compositum fuit, durante vita, dissolvitur et eliminatur, hinc quod receptum est, assimilatur et novam in formam redigitur. Sic indoles organica cuivis materiei tantum in transitu suo per typum tribuitur nec usquam constans in ea relinquitur. Prout typus hic differt, materia alio modo formatur, et eadem stamina ex altero organismo ad alterum migrantia nunc corpus vegetabile nunc animale constituunt, et ex hoc ad illud redeunt. Inde plantae eodem solo nutritae, eadem aqua irrigatae, eodem aëre circumdatae specie tamen quammaxime differunt; inde animalia eodem pabulo saginata et eodem loco detenta naturam suam nihilominus retinent et prolem sibi similem gignunt.

Quemadmodum autem naturae sibi oppositae, *corporea et non corporea*, in *organica* sibi occurrunt et junguntur ita, ut *duplicitas* combinatione (indifferentia) in *triplicitatem* transeat, quod cel. *Eschenmayero* nemo melius demonstravit, sic quoque in organismo ipso opposita combinata triplicem rursus partium et actionum ordinem constituunt. In animali enim, praecipue autem perfectiori humano corpore, *tela cellulosa* inferiorem locum occupans, contractione insignis, cum *fibra nervea* in supremo loco posita, per expansionem agente, *vasorum* oscillantium ope commercium init. Respondent iisdem tria systemata: *reproductionis, sensibilitatis et irritabilitatis*. In primo *cellula*, in altero *medulla* in tertio illa combinante *fibra* praevalet. His partibus systematum *textura* nititur.

Reproductionis organa, in cavo abdominis praecipue collecta, cum inferiori loco et forma dignitate quoque inferiori gaudent. Forma sua fere rhomboidali ad formam crystallorum naturae non organicae lineis rectis limitatorum magis accedunt et mutationi materiarum graviorum palpabilium inserviunt. Constituunt focum chemismi rudioris, quo oblata ad induendam indolem organicam praeparantur, cujus centrum in hepate reperitur. Finis eorum actionis est individui et speciei conservatio, extrema eorum autem in parenchymate et ossibus reperiuntur.

Irritabilitatis organa in pectore praecipue recondita cum loco et forma altioribus majori quoque dignitate eminent. Forma eorum fere conica liberiores motum contractionis et expansionis admittit, quo recipiendis et eliminandis materiis levioribus gasiformibus apta redduntur. Constituunt focum chemismi subtilioris, quo organismus perficitur, et centrum eorum in corde reperitur. Finis eorum functionis est reactio organismi et impetus in naturam externam, in extremis enim nunc vasa nunc musculos constituunt.

Sensibilitatis organa supremum in cranio locum occupantia summam dignitatem vel forma sua ovali praedicant. Imponderabilium actione praecipue agitantur, ideoque focum chemismi nobilissimi constituunt, cujus centrum in cerebro conspicitur nervos in forma radorum ubique emittente. Finis actionis eorum est commercium naturae materialis cum immateriali, et extrema sibi opposita in sensuum et motuum nervis occurrunt.

Ceterum systemata illa ubique inter se contexta singula *organa* constituunt ita, ut in quocunque eadem antithesis cum combinatione (indifferentia) in conspectum prodeat, et non nisi nunc prima, nunc secunda, nunc tertia pars praevaleat. Hinc organorum *structura* determinatur. Quemadmodum enim abdomini et capiti pectus interpositum est, sic parenchyma et ganglia viscerum vasa, sic ossa et nervos muscoli intercedunt, Simili modo vel extrema ejusdem systematis obversa arcto continentur vinculo, ut ganglia abdominis et cerebrum nervo sympathico magno, venae autem atque arteriae corde. Ubique ergo functiones sibi adjunctae conspiciuntur; reproductionis enim actus diriguntur quidem nervis, sed nervi rursus reproductione indigent, medium vero membrum vasa constituunt, materiam reproductioni aptam nervorum imperio elaborantia, vehentia et deponentia. Porro in limitibus sphaerae irritabilis duo adhuc apparatus collocati sunt, in quibus effectus ejus praecipue evoluti apparent, alter *generationis*, alter *loquelaе*. In illo vasorum subtilissimorum vi summus reproductionis actus, *propagatio*, absolvitur, in hoc musculorum concinna *structura notionum et sensationum communicatio* perficitur, et sic in illo cum reproductione, in hoc cum sensibilitate commercium iniens ad summum fastigium adscendit irritabilitas.

Interim non eadem semper systematum vigorem ratio intercedit. Ad universam enim naturam organicam oculos dirigentes infinitam formarum evolutionem et diversissimum vitae modum conspiciamus. Quot perfectionis gradus a mucoribus ad arborem usque vegetabile, ab infusoriis ad hominem animale regnum perlustrantibus nobis se offerunt! quot vitae phaenomena specie diversa! Quae quidem naturae varietas in ipso rursus organismo humano per existentiæ stadia repetitur. Quo inferior enim ipsius est evolutionis status, eo arctioribus quoque nisus ejus limitibus circumscriptus in sphaera sua concentratur; quo altior vero perfectionis gradus, eo liberius quoque vis ejus progreditur et fines sphaerae suae migrat. Prima sunt merae reproductionis phaenomena in incremento veloci foetus conspicua; mox forma magis elaborata membrorum motus se manifestant. In infante cum incremento, actiones multiplicantur, incedere et verbis sensationes exprimere conatur. Agilius redditur

corpus et ad uberiores naturae perceptionem dirigitur animus sequenti puerili aetate. Compescitur nunc reproductio superante irritabilitate et suscitantur sensationes, cupiditates et ideae novae pubertatis tempore. Magis magisque jam exardescit in juvene phantasia et motus cientur alacriores; hinc temere et incaute incedit. Tum omni ex parte organismo evoluto in viro, cessante incremento, functiones systematis sensibilis primum locum occupant; acuitur iudicium et temeritas in prudentiam abit; vis in naturam externam praecipue dirigitur; cum vigore vir arripit, quod spatio et tempore disiectum est, et forti animo impedimenta conaminum removet; vi physica provincias sibi subjicit et urbes exstruit, vi psychica praeteritorum seculorum historiam repetens et futuri temporis fata divinans aetatem suam relinquit, et scriptis aut literis remota amplectens vel astrorum cursum oculo persequens e loco sibi concesso libere egreditur; cum constantia labores suscipit et studiis favet, cum patientia molestias perfert et periculo se obicit. Pater familias non sui solum sed proles quoque curam gerit et opera perficit nunc viribus corporis nunc ingenii dotibus digna. Tandem reproductione labefactata, cum corporis et animae vires minuantur. Recedit ab opere lassus et exhaustus senex, donec destructa machina absolvendis functionibus vitae amplius inservire non potest et dissoluta ad anorganicam naturam redit. Sic eadem vis, quae formam functionibus aptam producit, eandem quoque actionibus ipsis destruit ita, ut jure ellipsi vita comparari possit, in qua per axin majorem decurrens cum incremento materiae, e proportione ordinarum, primo aucto posthac imminuto incedat.

Sed citius sane ad interitum tenderet, si, forma ad summum perfectionis fastigium evecta, vires perpetuo foras directae dissiparentur. Hinc periodice retardari solent actiones, ut illae colligantur. Fieri hoc videmus in quovis animali quotidie *somni* tempore, quo omnes sensibilitatis functiones ad interiora conversae non nisi reproductioni inserviunt. Cessat tunc perceptio naturae externae et in eandem reactio, clauduntur sensuum, quiescunt motuum arbitrio subjectorum organa, processus chemicus contra sine interpellatione procedit et vel augetur. Ad statum foetus redire videtur organismus donec vigentes, reproductionis ope organis in integrum restitutis, vires refocillatae

vigiliarum tempore denuo se exerunt. En vitae phaenomena formationis typo innixa! *Organisationis* ideo et *vitae* notiones identicae sunt, et quod organica indole gaudet, vita quoque praeditum, quemadmodum omne corpus vivum simul organicum esse debet.

Quamquam vero, quamdiu organisatio aut vita perstat, perpetuus functionum consensus et nisus ad conservandum totum conspiciatur, diversi tamen eorum gradus distingui possunt. Hinc *sanitatis* et *morbi* notiones profluunt. Perfecta enim actionum conspiratio et harmonia sanitatem designat, imperfecta aut perturbata contra morbum. Quo minus normale aequilibrium functionum sublatum est, eo minus a sanitate oeconomia animalis recedet, et eo longius vita produceretur; quo magis vero momento excutitur machina organica, eo gravior erit morbus et eo citius ipsa destruetur. Functionibus enim ad conservandam eandem non amplius sufficientibus vita exstingui et organismus naturae externae reddi debet. Sic *morte* abreptum ad fontem communem redit corpus, et formationis nisu deleto omni ex parte dissolvitur.

2) *Vis vitae organismo non additur, sed ex indole ejus prodit.*

In genere *vim* vocamus effectus causam, *effectum* vero rei mutationem et *causam* rationem ejus sufficientem. Mutationes organicae sunt *vitae phaenomena*; phaenomena autem in sensus externos incurrunt. Quae sensibus externis percipiuntur, sub forma spatii cogitantur; mutationes in spatio vero appellantur *motus*. Phaenomena vitae ergo sunt motus ideoque causa eorum *vis motrix*. Haec materiei, quae motum efficit, inhaeret et, qualitate ejus mutata, ipsa mutatur. Quis enim unquam virium praesentiam expertus est absente materia? Utramque cogitatio tantum, natura ipsa vero non disjungit, et egregie falluntur, qui vim sensibus externis percipiendam absque materia existere posse contendunt. Propterea vis vitae quoque si organismo adderetur, non nisi simul cum alia materia, cui inhaereret, adduci posset. Sin autem talis extra organismum existeret, effectus ejus quoque—vita—extra organismum in conspectum veniret. Quum vero non nisi dispositio organica vitam producat, haec quoque ipsa rationem ejus sufficientem in se contineat necesse est. Frustra ergo in singulo quodam principio eandem quaereres; qualitati enim totius debetur. Virtutibus novis praeditum est quod elemen-

torum concursu conflatur, et his solutis et illae pereunt. Nonne kali acido junctum aliis viribus praeditum est, ac illa singula? Nonne, mutata rudimentorum proportione, ex iisdem staminibus diversissimi effectus producta in lucem prodeunt? Saccharum fermentatione in acidum carbonicum et spiritum vini dispescitur, hoc in acetum mutatur. Quis autem extrinsecus iis virtutes novas tribui contendere auderet? Vires igitur corporum non nisi qualitates denotant, quibus ipsa materias alias immutant; conditione eorum mutata enim et ratio, quae corpora concurrentia intercedit, mutetur necesse est, quo facto novum in conspectum venit eorum commercium. Num aliter res sese habet in organismo? Vix credo. Alia adscribitur vis sanguini quam bili, quemadmodum alia luci ac aëri, quod indoles omnium est diversa. Vel animae, quamdiu organismo juncta est, actiones a conditione materiae dependent, quia non nisi organismi mutationibus cognoscuntur. Quis enim illius a corpore sejunctae modum et conditionem unquam perspexit? Cum incremento corporis evolvuntur facultates mentis, et quantum differt neonati corpus a corpore senis, tantum quoque intellectus et sensus in hoc et illo discrepant. Pari passu increscunt corporis et animae vires; certis aetatis stadiis, organis singulis prae ceteris evolutis, instinctus quoque, cupiditates et facultates singulae provocantur. Compares cogitandi et sentiendi modum in eodem individuo dentitionis, pubertatis et decrepitudinis tempore. Num periodis illis eandem animam agnosceres? Constantem ingenii indolem invenies media deinceps aetate, corpore efformato, increscente autem et decrescente alienam, quod forma organismi vitae quoque rationem sufficientem in se continet. Et corporeas mutationes, quibus delirium et vesania provocantur, morbos organicos (cordis v. c.) animum mire afficientes ante oculos habens, mutatas tandem victu et aëre mentis actiones respiciens, num nexum intimum psychici et somatici status negares? Coecutiunt, qui morbos mere *dinamicos* lingunt, vis enim prodit ex indole materiae et, non nisi *hac* mutata, a *norma illa* recedet. „Sed in morbis nervorum gravissimis, objicies, materia eorum non raro intacta reperitur et recte constituta.“ Respondeo: num omni ex parte conditionem ejus explorasti? num omnes ejus varietates sensibus unquam persequi potes? Textu-

rae intimae levissima mutatio, constituentium partium quamminima proportionis vicissitudo reagendi modum perturbat, quod vitae phaenomena efformationis typo nituntur. Quum vero vegetationis actu diversissima producta ex iisdem elementis conflentur, et in ipsis eadem rursus rudimenta reperiantur, analysis chemica quoque vix tibi auxilio erit. Quid mirum ergo, si formationis vitia in organismo latentia sensibus nostris plerumque se subtrahant et non nisi graviora eorum in conspectum veniant? Sed nonne infirmitatum, quas sine materia olim vocare solebant, fontem recentiores oculis ex parte jam assecuti sunt? Nonne nervorum morbi, dynamici appellati, saepe numero cerebri, gangliorum, vasorum, glandularum, perenchymatis, tunicarum labi manifestae originem debent? Quoties in vesanis viri cell. *Gre-ding, Meckel, Reil, Marshall* et al. cerebrum ipsum male constitutum viderunt, quoties in morbis spasmodicis vasorum compagem vitiatam invenerunt? Egrege nuper cel. *Kreysig* quamplurimos nervorum morbos circulationis, secretionis et mixtionis vitio deberi et hoc sublato feliciter tolli ad oculos demonstravit. Et quid quaeso hac in re detegat adhuc posteritas! Congeries materiei apta igitur *processus plastici* nomine veniens functionum organicarum fons est atque origo. Hac nititur receptio atque assimilatio, hac regitur secretio et dissipatio, hac constituitur commercium, quod inter organismum et naturam externam locum habet. Illa vigente laetius increscet et efformabitur corpus, eadem integra robore ipsam praeditum erit et fortius reagat, eadem intacta viribus externalis resistet et bene valebit. Perpetuus igitur in sphaera organica conspicitur circulus, quo rerum externarum potentiam eludens *autocratia* enascitur. Quemadmodum enim processus plastici a forma constituta dependet, sic idem formam rursus tuetur et laesam restituit. Quare organismi vires in intimis ejus recessibus genitae ex ipso penu libere prodeunt nec calculo subijci possunt. Hinc theoria Brunonis, quae illas externis modo rebus mutari docebat nec non e scala metiri tentabat, jam dudum vana corruere debuit. Quis enim vires organismi toties vicissitudine interna materiei, quoties externa rerum potestate mutari non videret? Quoties illae, ubi vigent et florent, abscondito quodam plasticitatis vitio subito delentur, ut in apoplexia? Quoties, ubi exhaustae esse videntur, materia

organica motu critico immutata, praeter opinionem refocillantur, ut in febre acuta? Propterea quoque prognosis nostra in aeternum dubia erit; ex organismi enim notione fluit, eundem virium fontem in se ipsum gerere et sui quasi compotem esse. A *plasticitate* normali ergo non solum mixtio, textura, structura et habitus, verum etiam agendi virtus nec non sentiendi et cogitandi facultas dependet. Sed prohi dolor! ratio illius sufficiens a nobis non attingitur, verum in reconditis penetralibus latet et combinationi corporei et incorporei deberi videtur. Acquiescamus ergo in cognitione legum quarundam, quas effectus ejus sequuntur. Si peculiari ad provocanda vitae phaenomena principio opus esset, unde et quomodo hoc imperiatur materiae organicae, explices quaeso. Unde hoc, si efformantur generatione aequivoca imperfectiores organismi? Unde hoc, si assimilatione singulari indole praediti humores et partes solidae? Cuiam parti accederet? num chylo, aut lymphae aut sanguini, aut fibris modo? Quando easdem relinqueret, materia dissoluta, excreta et dissipata? Perpetuo elementa motu agitantur et eadem nunc fluida, nunc solida constituunt. Quae recepta per vasa promoventur, nunc coeunt, nunc diffluunt, et rursus nova producta constituunt ita, ut eadem stamina pro diversa, in quam rediguntur, forma vitam diversam ostendant. Num porro unum vitae principium fictum ad explicandam rem sufficeret? Diversissimae sunt organismi facultates, quibus a rebus non organicis differt, ad diversissima ergo quoque principia vitae refugere deberes. Si tali opus esset ad explicandam assimilationem, alio opus esset ad explicandum motum et alio ad explicandum sensum. Caveamus ne commenta commentis cumulemus!

3) *Summa actionum organicarum est polaritatis lex.*

Oppositio in universa rerum natura occurrens diversitate quoque elementorum, antithesin electro-chemicam constituente, se prodit, qua singula nunc *positivum*, nunc *negativum* ostendant genium. Illic quidem non absolute sed tantum relative iisdem competit, quam unum idemque elementum ratione aliorum contrarium characterem offerre possit, prout ipsa diverso gaudent nisu; per seriem enim virtute a se invicem recedunt stamina ita, ut magis remotis eorum major quoque efficaciae oppositio tribui debeat. Ex

hac antithesi tum positiva cum negativa vi praedita elementa se attrahunt et e proportione certa producta constituunt indifferentia; nam singula stamina in rerum natura nusquam habentur, sed bina tantum modo sibi juncta. Quo major vero eorum est differentia et in serie illa distantia, eo majori quoque impetu sibi occurrunt et eo constantius sibi invicem sociantur. Qui quidem attractionis gradus *affinitatis chemicae* nomine insignitur et tum combinationis cum separationis rationem sufficientem constituit, eodem enim nunc nova conflantur, nunc pristina destruuntur producta ita, ut materia quae ab altera combinatione recepta fuerat, ab eadem decompositione separetur, si tertia accedat majori antithesi praedita. Absolvuntur hac affinitatis lege processus in natura anorganica occurrentes *chemismum communem* sive *inferiorem* efficientes. Interim lex illa tolli et processus inde dependens mutari potest antithesi nova fortiori extrinsecus accedente. Fieri hoc solet *polaritate* contactu corporum heterogeneorum provocata in apparatu galvanico, quo oppositio maxima evolvitur. Hinc inter polos columnae a cel. *Volta* inventae elementa, quae affinitate chemica firmissimo vinculo sibi juncta sunt, plerumque denuo separari solent, ut metalloidea ab oxygenio, alias vix sejungenda; hinc inter eosdem nisu fortiori rudimenta in nova producta abire coguntur, alias vix unquam constituenda, quod ammonii cum mercurio combinatio in forma metallica probat. *Polaritate* ergo *chemismus exquisitior* sive *sublimior* efficitur. Producta ejus minori constantia gaudent, tam diu enim tantummodo perstant, quamdiu actio galvanica continuat, et hac sublata destruuntur, elementis ex lege chemismi inferioris in alium ordinem redactis. Videre hoc licet praecipue in formatione fontium mineralium. Aqua nimirum in transitu suo per telluris superficiem metallis, sulphure, terris et salibus impraegnata in pedemontium plerumque duplici forma rursus ejicitur. Nunc enim thermae productis basicis, ut hydrogenio sulphurato et natro, repletae, nunc fontes frigidi productis oxydatis, ut acido carbonico et ferri oxydo, scatentes in conspectum prodeunt. Diversis enim terrae stratis se invicem tangentibus provocatur actio galvanica, quae fluido indolem adversam impertit ita, ut in vicinia alcalinorum fontium simul et acidi semper reperiantur.

Sic prope Carolinenses Egrani in Bohemia, sic prope sulphuricos ferrici ubique in Caucaso et ad Rhenum propullulant. Juvaret aliquando singulos persequi. A Rhaetia ad Galliam belgicam praecipue descendens varietatem illam aquarum mineralium alternantem, nonnullis tantum fontibus neutris interjectis, quaquaversum conspicies. Falluntur, qui diversam aquarum illarum indolem non nisi fortuitam esse, et temperaturam constantem non nisi a solo iisdem tribui putant. Ordo enim, quem in situ observamus, mixtio materialum contraria et temperaturae gradus oppositi varietatem illam processui galvanico originem debere satis superque demonstrant. Quemadmodum enim in pila a cel. Volta inventa ad polum positivum oxydata, ad negativum desoxydata colliguntur, sic in thermis quoque praecipue positiva, in acidulis vero negativa principia congeruntur; et quemadmodum altero polo temperatura ad flammam usque augetur, sic fontes calidi quoque perpetuo actu galvanico sine igne subteraneo per secula fervent. Quid mirum ergo, si tali processu sublimiori fluida gignantur chemismo communi non componenda; si eadem polaritati erepta et sibi relicta cito mutantur et decomponuntur? Simili modo fossilium quoque generatio maxima ex parte explicanda esse videtur. Quis enim metallorum accumulationem, quis crystallorum formationem in terrae gremio ex ipsa affinitate chemica derivaret? Concurrere debet actus galvanicus, qui stamina e polaritatis lege separans et jungens connubium et formam dirigit. Quamquam enim corpora illa solida majori constantia gaudere videntur, e loco suo remota tamen vario modo mutari solent, nec facile arte creari possunt, ideoque incassum hucusque metallorum transformationem in laboratorio tentarunt chemici, etsi natura eandem in intestinis terrae perficere videtur.

Quod polaritatis ope contactu stratorum in jugis montium rudius effici, id singulari structura partium in organismo exactius evenire videmus. Quemadmodum enim ex illis actione galvanica solutiones affinitate chemica sola vix producendae in scenam prodeunt, quae sibi relictas mox rursus decomponuntur, sic in corpore animali humores arte chemica non imitandae gignantur, quae organismum relinquentes mixtionem suam cito immutant. Elementa, quae sanguinem constituunt, in natura non organica quoque occur-

runt et ex eadem hauriuntur, sed non affinitatis communis, verum polaritatis lege componuntur. Ne credas, quae analysi chemica in illo e corpore excluso deteguntur partes, in circulante jam occurrere. Si ita res sese haberet, ex illis quoque arte ipsum componeres; sed nemini hucusque hoc unquam contigit. Humores in corpore vivo inclusi neque alcalia neque acida neque salia media continere videntur, sed tantum rudimenta eorum, ut sodium, calcium, phosphoreum, sulphureum, oxygenium, carboneum, azotum hydrogenium et alia e lege polaritatis sibi conjuncta. Emissi demum e vasis ostendunt partes illas, quas constituentes vocant, dum rudimenta eorum affinitate chemica coeunt. Jure igitur singularis humorum in vasis contentorum commistio et facilis emissorum mutabilitas eidem virtuti tribuitur, qua in catena galvanica clausa metalloideae bases ab oxygenio separantur, et interrupta eidem adjunguntur. — Quemadmodum porro in pede montium hic alcalinae, illic acidulae eji-ciuntur aquae, sic in organis secretoriis nunc humores carboneo et hydro-genio, nunc oxygenio magis scatentes eliminantur. Exempla praebent bilis et succus gastricus in abdomine, pigmentum nigrum et humores pellucidi in oculo, cerumen fuscum et aquae limpida Coturni in aure, nec non quam-plurima alia. Apparatus vasorum ipse antithesi huic explicandae sane non sufficit, sed ad altiorem polaritatis actum recurramus necesse est; materia enim allata ubique in partes dispescitur heterogeneas. — Quemadmodum porro medicatis aquis certus quidam caloris gradus, nec aestatis fervore au-gendus, nec hyemis frigore mitigandus, proprius esse solet, sic fluidis anima-libus quoque temperatura constans ab atmosphaera non dependens competit. Qui decompositioni aeris sub respiratione hanc tribuunt, falluntur, quia oxy-genium ipsum a pulmonibus non recipitur, et respiratione vel impedita ca-lor non raro augetur, ut pluribus in febris. — Quemadmodum tandem fossilia plura non nisi actui galvanico formam et indolem suam debent, sic solidorum in organismo quoque appositio sub nutritione eadem lege regitur. Quis enim sanguinis in omnes partes delati ope diversam organorum textu-ram, compagem et densitatem sustentari intelligeret, nisi ad altiorem nisum in explicanda re confugeret? Sane opposita partium contiguarum constitu-tio non nisi processui galvanico originem debet. Itaque discrimen materia-

rum naturae organicae et anorganicae in eo praecipue quaerendum esse videtur, quod mixtiones in hac ex affinitatis, in illa e polaritatis lege praecipue perficiuntur.

Nihilominus haec expositio ad explicanda phaenomena vitae non sufficit. In omnibus enim organismis polaritatis effectus conspicimus, sed quaelibet eorum species ex alio typo formatur; quaevis earum suo modo oblata arripit et mutat; quaevis peculiari ratione evolvitur; quaelibet prolem sibi similem gignit, et nec ulla in aliam transit, quamquam eodem aere circumdata, eodem pabulo nutrita sit. Nonne mutatis rebus externis organismus quoque perpetuo mutari deberet, quemadmodum in rerum natura externa polari actu producta quidem nova sed pro materiis oblatiis diversa generantur? Sed sui compos est organismus et sphaeram offert stabilem externis viribus resistantem. Partes ejusdem conspirant, ipse sese conservat et proprio Marte integritatem suam defendit. Quid ergo typum ejus tuetur, quid ordinem, ex quo functiones procedant, sustentat? Custode opus est, qui moderamen actionum organicarum summum in se suscipiat, ut omnia ad eundem finem dirigantur. In corpore animali hunc in systemate nervorum conspicies. Voluntarium motum et sensum eodem absolvi jam dudum viderunt omnes ac singuli, sed omnes ceteras actiones quoque eidem deberi ex parte negant. Probemus ergo, nervorum vi non solum sensibilitatis, sed irritabilitatis quoque et reproductionis sphaeram omnino regi. Qui apparatus eorum subtilem oculis persequitur, infatias ire non poterit, eundem non solum in omnes partes vim suam exserere debere, sed in diversas quoque sphaeras diversam. Respondet *sensibili* provincia cerebralis, *irritabili* sympathicus magnus et *reproductivo* gangliorum complexus. Diversa regionum illarum structura diversum quoque agendi modum indicat, nec sensui et motui mechanico solum systema nostrum inservire ostendit. Dispositio ejus provocandae polaritati ubique apta est, et plexus cum gangliis ubivis catenas galvanicas constituunt communi vinculo junctas. Attamen ad vitae praecipua phaenomena ipsa attentionem dirigentibus de veritate hujus sententiae vix dubium adhuc relinquetur ullum. Pathemata animi nervorum ope concutere totum organismum, turbare sanguinis motum, temperaturam mutare

et secretiones alienare, experientia edocti scimus. Quis enim est qui nesciat, spe atque gaudio cor stimulari, amore turgorem et aestum excitari, pudore ruborem, terrore contra pallorem induci, ira secretionem bilis vitari, laetitia perspirationem, timore urinam auferi? Interim sunt, qui sub illis phaenomenis non nisi irritabilitatem fibrarum muscularium atque vasorum et contractilitatem parenchymatis organorum secernentium nervorum stimulo affici doceant, ac facultates istas nervis ipsis originem debere negent, ad experimenta in vivisectionibus instituta provocantes. Num vero, si, medulla spinali destructa aut nervo intercostali et vago discissis, motus cordis atque pulmonum contractio per stimulos adhuc provocari possunt, effectus alienae virtuti est tribuendus? Nonne qui organa intrant nervi relictis irritabilitatem quoque illarum partium sustentare valent? Si musculus arbitrio parens resectus irritamenti nervo ejus discisso admotis adhuc convellitur, nonne in organis arbitrio non subjectis vis nervea adhuc constantior esse debet? In his, remoto cerebro, innumeri plexus et ganglia continuando processui galvanico suffiunt, quamdiu structura eorum nondum omni ex parte perit. Removeas si potes, nervos omnes, et sane simul irritabilitas subito evanescet. Eodem modo et reproductionis processus, assimilatio, nutritio atque secretio virtute eorum dirigantur. Egregie hoc experimenta a cel. *Brandis* instituta probant, quae polaritatem partium processus chemicos sublimiores in organismo dirigentem non nisi concursui nervorum duriorum et mollium deberi ostendunt. Quemadmodum enim, auctore illo, galvanismo in auxilium vocato, nervi e corpore resecti pars altera in massam pulposam, altera vero in fibrosam abit, et sanguis fines ejus tangens in illa arterioso-serosam in hac venoso-spissam indolem nanciscitur, sic quoque in organismo vivo duplex nervorum conditio illa et ipsi respondens humorum mutatio ubique conspicitur. Prae ceteris ratio illa in oculo patet, ubi nervus opticus polaritate positiva gaudens in pulposam retinam abit, dum nervi ciliares negativa gaudentes in tenuissima dispescuntur filamenta paullo duriora. Cum illo conjuncta est arteria centralis, quae humores pellucidos effundens tandem in ostiis serosis evanescit, his contra apparatus venosus amplitudine vasorum vorticosorum insignis cum secretionem pigmenti nigri subjectus est. Silentio praetereo reliquorum

organorum sensuum structuram egregiae viri summi ideae non minus congruentem. Monere sufficiat, nervorum in sanguificationem vim recentissimo tandem tempore cel. *Krimeri* ingeniosis experimentis satis superque confirmatam et extra omne dubium positam esse. Destructis enim omni ex parte vasorum nervis egregius observator sanguinem arteriosum in venas vix mutatum transire vidit, intactis contra vel globulos in arteriis minores et magis contractos, in venis contra majores et magis dilatatos invenit. Porro idem in partibus nervis orbatis vel vulnere inflictio inflammationem non amplius provocare, praesentem vero destructione nervorum extinguere valuit.

Ex allatis apparet, non solum indirecte, vasorum motu excitato, verum etiam directe, processu chemico temperato, nervorum systema in sanguinem agere et mixtionem ejus alterare. Polaritate enim nunc aucta nunc imminuta, affinitas quoque elementorum nunc magis nunc minus auferitur et partium constituentium proportio mutatur, quo facto laticis indoles diversimode variare debet. Hinc sanguis mixtione alia in liene, quam in renibus gaudet, quamquam eidem elementa neque addantur neque detrahantur. Mutatur conditio ejus sub motu e loci diversitate ejusque polaritate. Hinc fluidorum organicorum varietas et inconstantia ex affinitate chemica ipsa non explicanda; hinc analyseos eorum difficultas et incertitudo; hinc emendationis eorum directae spes vana. Polaritate tandem in genere nunc magis nunc minus provocata, crasis humorum in univsum quoque mutetur necesse est. Propterea cuius aetati, cuius constitutioni, cuius temperamento propria quoque humorum convenit indoles a diaeta non dependens. Propterea in febribus acutis cum irritabilitate vasorum (quae tenori nervorum debetur) alienata tam brevi quoque temporis spatio sanguinis mixtio depravari, et nunc arteriosa cum plasticitate nimis aucta, nunc venosa cum resolutione incedens, nunc alia dyscrasia produci solet, quae, polaritate nunc subito ad normam redeunte, crisi, nunc sensim sensimque restituta, lysi auferitur. Propterea in morbis chronicis cacochymia tam pertinax evolvitur nec nutrimentis nec medicamentis facili negotio corrigenda, in alteram non raro naturam transiens.

Quum vero processus chemicus, in quo thermogenium partes suas non

agat, vix ullas existat, mirum quoque videri non potest, polari nervorum actu et temperaturam corporis regi et figi, idque eodem, quo fontium mineralium temperatura determinatur, modo. Exacte hoc probant *Krimeri* experimenta, qui nervis discissis et illam inminui, galvanismo autem in auxilium vocato, restitui vidit. Et nonne calor animalis tam diu tantum est constans, quamdiu omnia ex ordine in organismo absolvuntur? Nonne idem nervorum actione innormali vario modo mutatur? Nonne ipse eadem cessante tandem evanescit in morte? Hinc febrium insultus nunc frigus nunc aestum in toto corpore producant; hinc inflammationes calorem in singula parte augent; hinc morbi spasmodici nunc cum horrore nunc cum febre incedunt, et partes paralyticae, in quibus vegetatio languet, plerumque frigent.

A thermogenii porro nunc latentis nunc liberi commercio expansio atque contractio, volumen et forma materiae quoque dependet. Eodem enim magis evoluto partes omnes dilatantur, solida in fluida mutantur, humores in vaporem aut gasa abeunt. Quid mirum ergo, si, nervorum polaritate mutata, in sanguine praecipue voluminis mutatio conspiciatur? Hinc idem cito interdum expanditur, et rursus contrahitur; quod in genitalium erectione et collapsu videmus; quis enim illam non nisi ex effusione in corpora cavernosa aucta et hinc ex eorum evacuatione accelerata explicaret? Si affluxus sanguinis tam cito, quam erectio sub desiderio, et reditus ejus tam repente, quam collapsus sub terrore perficeretur, ostia et vasa sane amplissima adesse deberent. Sed massa cerea in arterias injecta ad corpora cavernosa difficilius penetrat, ideoque viae angustissimae sint necesse est. Ponas, non nisi accumulationem auctam hic subesse; num, quomodo haec legibus circulationis perficiatur, intelliges? etenim aut affluxu repente promotu aut refluxu subito impetito effici deberet; quibusnam viribus haec motus turba deberetur? cur penis, ejaculatione seminis facta aut commotionis animi vi, absque compressione externa, cito collaberetur? Ad nervos recurrere debes, qui, praeter motum mechanicum auctum, polari actu cum temperatura praecipue quoque volumen sanguinis mutant. Cellulae spongiosae in limite sinuum arteriosorum et venosorum positae summam contextus capillaris evolutionem ostendunt, et eodem, quo vasa capillaria faciei pudoris tempore, dilatantur

modo. Respondent effectui nervi majores in pene ad glandem decurrentes, qui irritati in nervis vasorum aequè magnum provocant nisum, quo praeter motum praecipue sanguinis expansio augetur. Nonne turgor vitalis laetitia in toto corpore et stimulo congestionem provocante in singula parte mire interdum subito auctus efficaciam nervorum illam ubique demonstrat? In febre inde cum aucto calore orgasmus humorum in universum, in inflammatione in singulo loco augetur, et quamdiu vita perstat arteriae sanguine ita repletæ sunt, ut in denudatis ne ulla quidem contractio conspici possit, post mortem vero eodem orbatae et vacuae reperiuntur. Quorsum ergo latex delatus est? num ad venas? Sed haec quoque cessante vita non amplius tument, collabitur enim cum morte totum corpus. Cel. *Carsoni* theoria nuper prolata rem nullo pacto satis illustrat. Si expansio humorum, quod supra vidimus, nervorum actione non raro evidenter augetur, turgorem vitalem communem quoque et orgasmum humorum normalem eidem tribuere licet; cel. *Brandis* enim, vel temperatura non mutata, in pila Voltaica ad finem nervi positivum cum insipiditate ambitum quoque sanguinis multum incrementum comperit. Polaris igitur nisus, qui elementorum commercium immutat, vel distensionem humorum adjuvat, et sane volumen sanguinis in arteria viva contenti longe superat istud e vena emissi. Hinc venaesectio parca, qua aliquot unciae tantummodo remouentur, nihilominus satis magnum saepe producit effectum, quod in morbis vasorum et cordis videmus; hinc excretio exigua a natura ipsa provocata levamen symptomatum non raro haud spernendum adducit, quod e catameniorum et haemorrhoidum proflavio vel minori apparet.

Maximus tamen nervorum effectus in secretionibus conspicitur. E polaritatis lege has perfici supra monstravimus, polaritatem vero et hic nervorum apparatus debere, phaenomena omnia et singula docent. Compares cum supra allatis observationibus cel. *Brandis* et irritamentorum psychicorum in secretiones vi experimenta virorum cell. *de Humboldt* atque *Krimeri*. Ille, epidermide vesicatorii ope remota, e cute denudata serum maxime acre exsudari vidit, postquam zincum argento junctum eidem imposuerat. Hic nervis renum destructis urinae mixtionem insigni modo alterari ejusque cha-

racterem perire animadvertit. Ureum enim et acidum secreto proprium sub experimento fere evanescebat et loco ejus serum tinctum et multo albumine sca- tens in organi focum effundebatur, ex parte contra secretio ad statum nor- malem redibat, polaritate in nervis discissis galvanismi ope restituta. Hinc nervis affectis tot secretionum perturbationes in scenam prodeunt. Pathe- themata animi, paroxysmi hysterici, accessus febriles secreta repente nunc au- gent, nunc imminuunt, nunc mutant. Non solum vapores sed gasa quoque nervorum actu ex humoribus evolvi deprehendimus. Exemplum praebent flatus et emphysemata spasmis juncta. In febre acuta commotione animi provocata, irritabilitate secretoriorum organorum mutata, secreta ipsa quoque alienantur; eadem motu critico soluta, cum polaritatis legitinae reditu processus chemi- ci quoque ad tramitem suum reducuntur. Venena ipsa nervis infesta sententiam nostram egregie confirmant. Exemplo sit istud in sarcinibus fumo duratis nuper inventum, quod stupore nervo sympathico inducto non solum cordis motum miro modo supprimit, sed omnes quoque secretiones fere, excepta renali, intercipit.

Tandem et nutritionis processus nervorum praesidio absolvitur: Acti- vum motum nimium, moerorem atque aerumnas, dolorem continuatum cor- pus consumere, quis est qui nesciat? Luculentius tamen nervorum in vege- tationem vim febres et tabes nervosae ostendunt. Et nonne vice versa sti- mulo nervis adnato non solum inflammationis, sed reproductionis luxurian- tis quoque phaenomena prodire videmus? Terror non raro erysipelas et angor inflammationem cordis creat; cum inflammatione autem processus pla- sticus ipse mutatur. Si inflammatio, quod supra vidimus, nervorum actioni debetur, producta spuria inde enata eidem tribuenda sunt. Hinc gaudium, spes atque fiducia, quae nervis conducunt, augmentum, vigorem et instaura- tionem organismi etiam praecipue adjuvant.

Objicies forte, non raro turbas nervorum cieri nun vehementes cum longas, sed secretionem et vegetationem intactas relinqui, vesanum saepe optime nutriri et bene vigere, convulsiones repetitas mixtionem et repro- ductionem interdum non laedere et membram paralyticam volumine justo gaudere atque increscere posse, ideoque processus vegetativos a nervis vix

dependere. Perpendas autem, apparatus nervorum diversis provinciis ex parte sejunctis componi et quacunq̄ suo modo turbari posse. Prima, quae systema cerebrale constituit, naturae externae obversa impetus ejus sensuum ope excipit et motu voluntario in eandem reagit; haec characterem animalem organismo impertiens officina animae vocari potest, quum per focum ejusdem, cerebrum, mundi materialis mutationibus mens afficiatur et operationibus ejus in organismum via aperiatur. Altera, quae gangliis praecipue continetur, ad interiora restricta, assimilationi inservit; haec vegetationem regit et processus chemicos arbitrio non subjectos moderatur ideoque reproductionis organis locum praebet. Tertia in medio loco posita, in systemate nervi sympathici conspicua, priorem alteri sociat et irritabilitatis sphaerae, qua psychica cum somatica organismi facies jungitur; praecipue praest, dum cordi et vasis imprimis vim tribuit. Propterea mirandum non erit, in sphaera sensibili turbas interdum excitari in reproductivam vim parum exserentes, et vice versa vegetationem interdum valde perverti, sensatione parum affecta. Nihilominus actiones omnes ac singulae nervis debentur nec ulla absque imperio eorum absolvitur, destructis enim aut paralysi correptis illis, quae functioni cuidam praesunt, et haec ipsa cessat, ut supra satis demonstravimus.

Ceterum, quamquam sphaerarum supra memoratorum quaelibet a reliquis segregata esse videatur ita, ut vegetationis actus arbitrio se subtrahant et vel quiescente cerebro procedant, perceptionis contra et voluntatis actus vegetatione laesa persistent et non raro cum vigore aucto absolvantur, omnes tamen communi vinculo junguntur et totum constituunt; in medulla oblongata enim atque spinali, primo systematis nervorum universi rudimento, centrum commune habere videntur. Hae enim in imperfectissimis animalibus jam conspiciuntur, et ex iisdem in ceteris quoque majori perfectionis gradu gaudentibus tam cerebrum quam nervi peripherici distinctius prodeunt, qui vel in foetu humano ex illis evolvi videntur. Quo magis a centro recedit medulla, eo majori vi gaudet polari; propterea ad fines nervorum effectus ejus praecipue conspiciuntur. Nervorum finibus perceptio in organis sensuum, nervorum finibus contractio in musculis, nervorum finibus mu-

tatio sanguinis in vasis capillaribus, nervorum finibus secretio in superficiebus dirigitur. Quo magis constitutio eorum differt, eo major etiam eorum est oppositio et eo major inde dependens effectus. Hinc actu ipsorum materia interjecta nunc magis nunc minus mutatur ita, ut in producta diversissimi generis compagem organismo propriam constituentia abeat. Quam quidem discrepantiam in aliis sensibus nostris assequi non possumus, in aliis vero e forma, colore et firmitate cognoscimus, veluti in centralibus et ciliaribus sensuum nervis et cerebri atque sympathici magni ramis, qui e soliditate sua imprimis in duriores et molliores distingui possunt. Antithesis eorum quacunq̄ue in sphaera innumeris juncturis, in cerebro, in plexibus, in gangliis, deprehendendis et catenas galvanicas imitantibus efficitur, maxima tamen in illis locis conspicitur, ubi nervi ex sphaeris diversis sibi occurrunt. Ubique enim e foco suo procedunt et totum organismum pervagantes provincias sejunctas contexunt. Sic vagus ad ventriculum descendens meditationis commercium cum digestionem sustentat; sic motuum nervi voluntati subjecti vasorum nervis in musculis appropinquant et actu polari, nunc hac nunc altera ex parte mutato, contractionem fibrarum producant. Illustrat eandem imprimis experimentum a celi *Ermanno* institutum, qui laminam metallicam in brachio staterae suspendit eamque aquae mercurio vivo superfusae ita admovit, ut cum eadem in forma columnae elevatae non nisi levi contactu cohaereret, tunc stateram ipsam cum polo pilae Voltaicae primo, mercurium autem cum polo altero conjunxit, et clauso circulo laminam repente descendere, soluto autem extolli et ab aqua separari vidit. Processus hic schema offert, quo musculus convellitur et relaxatur polari nervorum actu.

Quandiu constanti catenae galvanicae partium contactu circulus perstat, tandiu quoque processus chemicus inde provocatus absque interpellatione continuatur; ubi autem, nunc mechanica nunc chemica vi accedente, perturbatur, processus ipse quoque mutetur necesse est. Sic concussione, sic laminae metallis interjectae arrosione polaritas et effectus ejus in processum chemicum facillimo negotio mutari solet. Idem videmus in secretionibus et motibus corporis animalis. Secretiones quidem plerumque eodem tramite

pergunt, quamdiu vita perstat, quia apparatus nervorum eosdem dirigens in interioribus lateus externis viribus magis se subtrahit et ex catenis complexum firmum constituentibus componitur. Interim qui e ceteris provinciis ad eundem penetrant nervi et materiae ipsae receptae eundem tangentes vario tamen modo actionem chemicam non raro accelerant, retardant aut alterant. Hinc ipse nunc incorporeis nunc corporeis stimulis alienatur. Sed longe evidentior est variatio polaritatis in nervis naturae externae obversis, qui impetu in sensus et animae arbitrio perpetuo agitantur. Hinc motus majores, vicissitudo frequentior et reactio periodice vel provocata vel sublata in systemate sensibili et irritabili. Ubique enim superficies externa imponderabilibus patet, quibus ponderabilia ideoque et nervi omnino polaritatem debent. Accessu illorum haec vario modo mutabitur. In memoriam revoces lucis, electricitatis atmosphaericae, caloris et magnetismi effectus. Et nonne vel contagia impalpabilia, non quantitate sed qualitate vim exerentia, ejusdem sunt ordinis? Quanquam enim nervorum dominium processui galvanico comparaverim, tamen utrumque identicum esse et non nisi ex electricitate originem ducere neutiquam contenderem. Ex eadem quidem lege, e qua processus galvanici procedunt, nervorum quoque vis derivanda esse videtur, sed electricitatem solam in iisdem partes agere non affirmaverim, quam cetera quoque imponderabilia efficientia simili praedita tot tantos effectus in illis producant. Sufficiat ergo probasse, polaritate sua quacunq[ue] nervos in organismo omnia regere, nec ullum phaenomenon absque illa in conspectum venire. Eidem consensus et antagonismus partium vel remotissimarum, eidem vis organismi alius in alium sub manipulatione mesmeriana debetur, et terror erysipelas in pede provocans, diaetae error pruritus in cute excitans, refrigerium catarrhum gignens et medicamentum deglutitum excretionem in superficie adjuvans non nisi polaritate nervorum diverso modo temperata effectum suum producant.

Prima organisationis stamina in generatione aequivoca imponderabilium actu evolvi videmus. Exemplum praebet materia viridis Priestleyana. Haec, cel. *Trevirano* teste, in aqua pura vase vitreo inclusa lucis et aëris ope enascitur et primo stadio non nisi globulos virides separatos, infusoriorum more sese

moventes, praebet. Mox ipsi inter se conjunguntur et contextum confervis similem constituunt, in cujus superficie tremellae propullulant, naturam vegetabilem ostendentes. Pari modo in sphaera organismi jam efformati prima organisationis rudimenta prodire videmus. Globuli sanguinis enim in oeconomia animali easdem fere partes agere videntur. Formantur ex hisdem, cel. *Bauero* (in *Ephemeridibus physiologicis* cel. *Meckelii*) teste, tum fibrae musculares, cum nerveae. Vel e venis emissus sanguis sub coagulatione, illo affirmante, nisum adhuc similem sed, deficiente vi ordinante, rudiore ostendit. Rete enim in conspectum prodit ad omnes directiones expansum, contextui illi materiae *Pristleyanae* comparandum, quod cruori fundamentum praebet. Eadem igitur lege, qua concursu elementorum fortuito, generatione aequivoca, sponte vegetabilium rudimenta in conspectum prodeunt, in animali quoque oeconomia prima texturae semina produci videntur, processu continuato e typo altiori magis elaboranda.

Si, quae non hypothesebus, sed experimentis et analysi recentissimorum temporum chemica nituntur, inter se compares, haec forte habebis: Ingesta actu polari, in corpore animali dissolvuntur. Ex elementis *materia albuminosa* (*Eyweissstoffartige*) conflatur, quae magis magisque elaborata variam nanciscitur indolem, sed omnium fluidorum circulantium partem primariam constituit et in secreta quoque et partes solidas transit. Levi enim mutatione chemica, testante cel. *Giese*, nunc in *albuminam* (*Eyweissstoff*), nunc in *caseosum* (*Käsestoff*), nunc in *materiam sanguinis rubram* (*Blutroth*), nunc in *fibrinam* (*Faserstoff*) convertitur. Polari actu vasorum et organorum nunc magis diluta in humoribus secretis, nunc magis concreta in solidis formatis in conspectum prodit. Hic nisus ad separationem jam in chylo, qui coagulatus in cruorem et serum abit, magis tamen in sanguine cernitur, qui in vasis adhuc inclusus coeundi facultatem globulis rubris sero innatantibus eo luculentius ostendit, quo perfectius elaboratus est, e vena emissus vero fibras ipsas constituit, cruorem continentes. Quod extra corpus rudi processu gelatur, in finibus vasorum polari actu in forma fibrarum nunc nervearum, nunc muscularium, nunc ossearum deponitur et peculiarem texturam prae se fert, dum fluidiora motu mechanico ulterius promota aut ad receptaculum commune redeunt, aut se-

cretionem eliminantur. Nusquam vero materia constans quiescit, sed perpetuo motu chemico nunc decomponitur, nunc restituitur. Idem actus singulis in locis partim externis rebus, partim arbitrio (stimulis physicis et psychicis) e polaritatis lege magis provocatus vel in motum mechanicum periodice auctum transit ita, ut nunc fibrae ipsae contrahantur et relaxentur. Hinc in conspectum prodit motus muscularis. Quod musculis accidit, vasis quoque, actu in illa directo evenit, ideoque cordis contractio et vasorum capillarum motus nunc cietur nunc compescitur, quo facto circulatio, congestio et secretio modo promovetur, modo retardatur et perpetuum motus mechanici et chemici commercium sustentatur. In nervis ipsis utrumque motum moderantibus agitatio quidem non conspicitur, quum conductorum partes agant, sed mutatio interna elementorum in polis eorum non deerit, quod, vel neglecta materiei vicissitudine sub nutritione eorum obvia, jam ex forma finium ipsorum supra memorata diversa elucet. Hunc actum polarem nervorum sui conscius homo percipiens ad representationes, notiones et ideas pervenit, hunc ipsum arbitrio provocans actiones et voluntarios motus producit. Ganglia contra perceptionem et sensum impediunt, dum catenam quasi galvanicam procul a cerebro claudunt, et motum involuntarium cum processu chemico in reproductione adjuvant atque eundem ab omni interpellatione arbitrii tuentur. Quemadmodum vero argenti et zinci laminae singulae sibi junctae contraria quidem electricitate gaudent, sed nihilominus in pila Voltaica coacervatae nisum polis respondentem ostendunt communem, sic quoque in organismo animali nervi singuli vicini diversa indole sua catenas simplices offerentes in apparatu majori contexti nisui ejus praevalenti subjiciuntur. Hinc processus plasticus concursu singulorum nervorum nitens in diversis organis diversimode rursus dirigitur ita, ut hinc positiva illinc negativa vis praevalcat, veluti in secretorum et solidorum formatione varia. Ubi enim cum cel. *Brandis* in molli nervo sympathico magno, qui arterias praecipue et viscera penetrat, prae ceteris nisum positivum agnoscimus; nervis cerebri et medullae spinalis, qui sphaeram sensibilem moderantur, primum nisum negativum tribuere debemus. Quare innumerae antitheses in quacunque sphaera obviae, gangliorum ope imprimis productae, accessu, connubio et nexu fila-

mentorū ex aliis provinciis originem ducentium multiplicem acquirunt genium et characterem, similique modo, illorum tenore temperato, non raro antagonismi atque consensus phaenomena gignuntur plane nova. Eidem igitur legi nunc assimilatio, nunc nutritio, nunc secretio, nunc motus, nunc sensus parent — legi scilicet polaritatis. Sed primam actus polaris causam quaerens ad summam naturae universae rationem — sapientissimum numen — recurrere debes. Organismi enim materiam pneumatico sociant et vinculum, quod mundum corporeum cum incorporeo jungit, constituunt, sapientiae summae imaginem et documentum offerentes. Ne ad causam quidem varietatis typi innumeris formis expressi adscendere menti humanae hucusque licuit, sed ipsam contemplantes in exponendis tantum quibusdam legibus ex observatione deductis acquiescere tenetur, donec Newtonius forte alter tenebras, quibus adhuc circumfusi sumus, divina ingenii sagacitate aliquando dissipabit.

4) *Irritabilitas ex indole materiae est derivanda et leges ejusdem polaritatis legi subordinandae.*

Ex hac, quod vidimus organismus formatur, conservatur et immutatur, a qualitate ejus vero reagendi quoque modus omnino dependet. Rite processu plastico constitutus bene rebus externis respondebit, male conflatus perperam. Receptivitas ergo vitata non nisi perturbato debetur processui plastico et male agere videntur, qui, hoc neglecto, aequilibrium actionum sublatum fingunt, vim organismo peculiarem additam statuentes et in facultates liberas, materiae legibus non subjectas, dispescentes. Nervorum reagendi modum *sensibilitatem*, fibrae muscularis *irritabilitatem* et parenchymatis *reproductionem* vocare licebit, sed quaevis non nisi constitutioni partium et formae debetur, dum polaritate provocata effectus suos edit. Propterea *nervi* illa praevalentes organismum animale praecipue regunt, et vel processus vegetativos moderantur. Nonne enim functiones sensuum, nonne vasorum motus, nonne musculorum contractiones, nonne humorum indoles, quod experientia confirmatum vix vidimus, omnes polari illorum actioni debentur? Hanc tollas et cum processu plastico animali incitabilitas quoque quiescet. Sensibilitatem ergo, irritabilitatem et reproductionem obversa ratione

agere et alteram alteram compescere aut reprimere, commentis diei annumeramus. Negari quidem non potest, nunc nervos, nunc vasa magis affici et functiones eorum praecipue turbari, sed talem, qualem fingunt, actionem eorum contrariam natura neuliquam confirmat. Innumerae sane in organismo sunt permutationum conjunctiones et nimis arctis naturam limitibus circumscriberes, si omnia ad eandem proportionem referres. Processu plasticitatis vasorum vitio mutato nervorum quoque diversa ratione nutritio et inde dependens reactio mutabitur, quod male sensibilitati primitus alienatae tribuere solent, nervis vasorum contra affectis circulatio rursus et inde dependens vegetationis actus diverso modo interpellari poterunt, quod aequae perperam ex irritabilitatis vitio originario plerumque deducunt. Exempla praebent febres et morbi spastici. Quam vario e. g. modo in decursu febris ex irritatione vasorum, retenta excretionem et veneno exorta nervorum sensibilitatis status alienatur, et quoties ex causa nervos commovente reactio vasorum contraria vel irritabilitas innormalis provocatur ab erethismo gradatim ad torporem descendens? *Receptivitas* quidem et *energia*, quibus incitabilitas ipsa continetur, inversa ratione incedere solent, sed perperam illam cum sensibilitate et hanc cum irritabilitate confundunt. Ubi enim nervorum incitabilitas sensibilitatis, et fibrarum muscularium irritabilitatis nomine insignitur, tum sensibili cum irritabili systemati receptivitas et energia simul erunt tribuendae, et ubi sensibilitas et irritabilitas inversa ratione evolvi videntur, hoc aequilibrio actionum in diversis nervorum provinciis sublato est tribuendum. Omnino enim evenire potest, ut nervi, qui sensibus et motibus praesunt, alia temperie gaudeant, quam nervi vasorum et organorum secretoriorum, quo facto disharmonia inter systemata ipsa in conspectum veniet, sed irritabilitas vasorum aequae ac reproducendi facultas non nisi nervis eorum debetur, ideoque incitabilitate in omnibus pari passu auctis cum sensibilitate aucta et irritabilitas ipsa increset. E polaritate normali aucta prodit *robur*, ex imminuta vero *debilitas* organismi; quatenus vero incrementum et decrementum nunc in positivo nunc in negativo praevalet polo, tum robur cum debilitas magis quoque modo in vegetativa modo in sensitiva sphaera se exerent. Irritabilitas recentiorum respondet polaritati positivae, et

sensibilitas negativae. Diversis stimulis nunc haec nunc illa provocari et ad altiore gradum evehi solet. Ubi reactione alterius poli aequilibrium illico restituitur, *incitatio* in conspectum venit, ubi autem hoc effici nequit, *morbis*. Hic igitur ab irritatione non nisi constantia sua differt ideoque ex iisdem causis enascitur. Hinc potus spirituosus in altero non nisi ebrietatem in altero febrem acutam vel inflammationem, hinc frigus in altero non nisi horrorem in altero diarrhoeam vel catarrhum excitat. Interim in decursu morbi quoque natura nisu suo, quo integritatem defendit, harmoniam restituere conatur. Quo citius ad hunc finem pervenit, eo *acutior* est morbus, quo serius eo magis *chronicus*. Disharmonia ceterum partim in singulis organis aut nervorum provinciis, partim in universo organismo locum habet, ideoque nunc magis vel minus *locales*, nunc *universales* gignuntur morbi. Si polaritas positiva constanter augetur, morbus *inflammatorius*, si eadem deprimitur, *cachecticus* gignitur. Ubi autem polaritas negativa increscit, status *spasmodicus*, et ubi eadem decrescit, *paralyticus* enascitur. Tali disharmonia locali nunc inflammationes, nunc secretionum et formationum vitia, nunc spasmi, nunc paralyses in singulis locis, generali vero nunc *orgasmus*, nunc *cachexia*, nunc *erethismus*, nunc torpor universalis enascitur, e quibus, si reactione fortiori aequilibrium polaritatis sublatum restituere tentat organismus, nunc inflammatoriae, nunc lentae, nunc nervosae nunc putridae febres evolvuntur. Interim diversis in locis plerumque ratio illa quammaxime variat, ideoque multiplices in conspectum veniant complicationes et formarum species. Sic altera parte paralyti affecta, altera inflammatione corripitur, et altera spasmis vexata, altera in normali secretionem labefactari potest. Innumerae hinc existunt variationes e constitutione individui diversae et rarius in universo organismo una eademque polaritas pari gradu ubique eminet. Hinc febres quoque nunc cum congestionibus vel inflammationibus localibus, nunc cum spasmis aut torpore singularum partium, nunc cum secretionibus suppressis vel auctis, nunc cum deliriis aut sopore incedunt, prout momenta causalia interna et externa vim suam exserant et sibi magis vel minus respondent. Sed in decursu ejusdem quoque morbi eodem in loco polaritatis ratio et modus actionum perturbatione

diversimode mutari et in diversis stadiis acutorum praecipue quammaxime variare solet. Hinc alter status in alterum saepe transit et inflammationem sequitur effusio, spasmus paralysis, synocham typhus et febrem nervosam cachexia. Discrasia humorum cum polaritate perversa pari passu incedit, ideoque in febre inflammatoria character arteriosus, in putrida venosus imprimis praevalet, in ceteris autem morbis e varia nervorum actione mixtio humorum multifarie alienatur. Ratio igitur, qua aequilibrium in systematum pariter atque organorum functionibus tollitur neque ex scala metiri neque calculo subijci poterit, sed in infinitum variabit. In eo enim organismus a machina arte composita differt, quod virium fontem et mutationum causam in se ipse continet et damnum rependere valet, nunc idonea materia arrepta nunc inepta ejecta, ad perfectionem tendens.

5) *Res externae e legibus psychicis et physicis in organismum agunt, eumque immutant polaritatis vi.*

Res non corporeae phantasiam excitantes et pathemata animi provocantes, experientia teste, motum sanguinis quoque et vegetationis actum vehementissime perturbare, vel annihilare valent. In memoriam revoces febres, tabem et apoplexiam nervosas. Corporea contra momenta vegetatione mutata vim animi infringere et turbare possunt. Memor sis venenorum et sordium gastricarum actionis in cerebrum. Sed incitamenta quoque *conservando toto necessaria* non diversa ratione agunt. Eadem enim modum excedentia in morbum hominem facile injiciunt, et, quod alteri salubre censeatur, alteri nocet. Propterea pathematum animi, meditationum, aëris, alimenterum, remediorum et venenorum effectus ex eodem fonte sunt derivandi. Quod superficiem tangit, interiora quoque polaritatis vi concutit, et quod in sphaeram ipsius recipitur mutata mixtione et reactionem alienat. Sic moeror continuus et dolor perpetuus externa vi mechanica excitatus emaciant corpus et processum plasticum aequè impediunt ac peregrina materia ad intimos recessus penetrans. Omnis enim actio consumit corpus et, obturato materiei instaurationis fonte, sponte ipsum eo citius marcescit, quo alacrius motus interni continentur. Ubi irritamenta materiam intactam relinquere vel adeo ad instaurandas vires requiri videntur, hoc non nisi ex restitutione

actus plastici ope explicandum est. Actione enim vel consumptionem minante provocata, ad arripiendam tamen materiam novam et damnum resarciendum simul instigari solet organismus. Ideoque exhaustio et instauratio incitabilitatis non nisi processu plastico nituntur. Quae ab organismo recipiuntur materiae aut partibus solidis appositae diutius ei inhaerent, aut ab illis repulsae citius ex eo ejiciuntur. Quae constantius ipsi inhaerent partim massam ejus normali modo augent et *nutrimenta* vocantur, partim eandem immutant et *medicaminum fixorum* aut *permanentium* nomine veniunt, partim eandem destruunt et *venena* appellantur. Medicamenta fixa autem rursus contrariam mutationem produciunt; partim enim processum plasticum ita dirigunt, ut energia organismi aucta in conspectum veniat, et tunc *roborantia* vel *tonica* appellantur, ut ferrum et cortex peruvianus, partim processum illum ita alienant, ut vis fracta appareat, et tunc *debilitantia* vocantur, ut hydrargyrum et antimonium. Quae citius eliminantur *medicaminum volatilium* nomine insigniuntur. Haec in transitu suo per organismum reactionem ejusdem non nisi obiter mutant, eamque aut augent, ut *excitantia* vel *stimulantia*, aut compescunt, ut *sopientia* vel *sedantia*. Ceterum simplicia eodem aut tali fere in statu, quali ingesta erant, aut alii elemento nupta rursus eliminantur, ut phosphorus in forma vaporis per pulmones et sulphur cum hydrogenio per cutem; e pluribus vero staminibus conflata decompositionis ope dissoluta remouentur, ut camphora et acidum hydrocyanicum. Interim in tanta rerum externarum compositionis et organismi virtutis plasticae varietate certi inter effectus illos limites constitui nequeunt. Nutrientia enim non raro simul vi medicata gaudent et medicamina fixa stimalante aut sedante; volatilia contra non raro ex parte assimilantur et in organismo retinentur. Et vice versa, quemadmodum duriora a canali intestinorum nunc subacta nunc intacta redduntur, prout digestio viget; sic substantiae quoque ad vias secundas delatae continuato vegetationis actu nunc indolem suam magis deponunt, nunc eandem tuentur, prout plasticitas vim suam exercet. Sic quod de exhausta et accumulata incitabilitate docent, ex nostra sententia non nisi ad materiae mutationem est referendum, quamquam eandem sensibus nostris plerumque vix assequi possimus. Interim tamen non raro

oblatis substantiis omnis generis, nutrimentis et medicamentis, habitus etiam ipse evidenter mirum in modum mutatur et perperam effectus rerum exter-
narum in materiae organicae mixtionem et vegetationis actum plerumque nimis negliguntur. Jure inde cel. *Kreysig* veteres methodo diabetica plus absol-
visse affirmat, quam recentiores, qui irritationis theoria obcoecati effectum
illius in corrigendis dyscrasiis inveteratis rarius viderunt et recte aestimarunt.

6) *Vegetationis actus innormales partim directe, partim indirecte
sunt corrigendi.*

Directe eosdem mutari posse, dietae praecipue effectus probat; sangui-
nis enim quantitas et corporis volumen mutato victu nunc minuitur nunc
augetur. Sed praeter alimenta remedia quoque, quod monuimus, non pauca
tum fluidis cum solidis partibus singularem tribunt indolem, ideoque, si ma-
lis quibusdam tollendis praecipue idonea reperiuntur, *specificorum* nomine
insignuntur. Referas huc ferrum, mercurium et antiscorbutica quaedam
Medicamina certo, ut cetera irritamenta, polaritate mutata effectum suum
producant et eadem lege sanationem absolvunt, qua potentiae nocentes
morbum gignunt. Quemadmodum haec, polaritate obiter mutata, non nisi
praetereuntem turbam cient, sic volatilia medicamenta quoque partim ex-
pulsam partim decompositam efficaciam suam vestigium vix relinquunt; quemad-
modum vero istae, polaritate constanter alienata, morbos gignunt, sic perma-
nentia quoque remedia durantem producant effectum. Utraque nunc posi-
tivi nunc negativi poli vim prae ceteris provocant aut compescunt sed, quum
alterius reactio plus minus sequi soleat alterius nisum, plerumque etiam
utriusque conditionem determinant, et inde mixtionem et plasticitatem diri-
gunt vario modo. Volatilia, quae brevi subiguntur aut ejiciuntur, effectum
fugacem, non raro contrarium producant. Sic narcotica, quae primo pola-
ritatem positivam augent, quod turgore atque calore vitali et secretionibus
serosis auctis probatur, posthaec collapsum et stuporem gignunt, quia pola-
ritate negativa suppressa, simulac decomposita fuerint, positiva quoque pari
gradu imminui debet. Permanentia contra, quae diutius in organismo com-
morantur, constantiori gaudent effectu. Sic ferrum et cetera tonica polari-
tatem positivam continue augent, mercurialia vero et plurima alia remedia

metallica eandem assidue imminuunt. Illis propterea polaritas negativa (sensibilitas) comparate imminui, his comparate augeri solet. Eodem modo et remedium polaritatem negativam primitus moderantium, psychicorum praecipue et imponderabilium, efficientia dijudicanda est. Quum vero nisus alterius poli temperiei alterius accommodari soleat, in universo quoque organismo iisdem energia nunc extolletur nunc deprimetur. Processus chemici mutationi factae exacte respondere debent, ideoque et plasticitatis modus ab his dependens alium nanciscetur characterem. Ubi in casu simpliciore vicissitudinum seriem exacte perspicies, cum fiducia quoque remedia eligere et cum successu adhibere licebit. Plerumque tamen tam directa via incedere vix poteris, saepius enim non nisi provocatis organismi actionibus singulis ad finem pervenies. Quis enim v. c. in *febribus* mixtionem humorum directe nostris temporibus corrigere adhuc susciperet, quum vitia eorum partim nos plane lateant et ne experimentis quidem chemicis deprehendi possint, partim certo quodam decursu per stadia morbi ipsa evolvi et vinci debeant ita, ut medicus cautus prudentem spectatorem agens non raro plus valeat, quam procerabundus turbam ciens. In tali casu vitam potius, donec stadia sua absolverit morbus, conservare juvabit, quam incertae methodo credere, si, quid mutandum sit et quomodo? nescias. Satis mirari sane non possum, quanta audacia incedant aliquando medici nostri aevi febres acutas tractantes nunc hanc nunc illam methodum eligentes. Si quondam abusu purgantium debilitans curatio male nota Brunonis stimulantia victa cessit, haec denuo venaesectionibus fere depulsa jam oblivioni tradi coepit. Nihilominus alteram experientia suffulta altera deturbavit et effectus fama gloriam sibi comparavit. Num fide ergo omnino digna sunt, quae memoriae prodita exstant exempla contraria? an medici soli tantopere coecutiant, ut vaniloquentia capti, naturae via relicta, auctoritatem Thrasonum sequantur? Si porro typhi causam nunc in putredine laticis communis, nunc in debilitate nervorum, nunc in inflammatione cerebri aut intestinorum, nunc vel in exulceratione tunicarum mucosarum se invenisse gloriantur, probandae sententiae causa aequo jure ad indicia sibi observata confugiunt. Quis ergo recte vidit, quis deceptus verba dedit?

An forte omnibus fides deneganda est? Injustus damnare unum et alterum; nam omnes sane indagandae veritatis studio flagrant. Quomodo ergo controversiam et repugnantiam illam tolles, quomodo litem compones? Plura sane hunc in finem tenenda esse videntur. *Primo* idem morbus faciem saepissime mutat. Exemplo sunt epidemiae diversis temporibus grassantes. Quis est, qui nesciat, eundem morbum nunc inflammatorium, nunc alium ostendere genium, nunc hoc nunc illud tangere praecipue organon? Scarlatina nunc feбри catarrhali similis levissime decurrit, nunc pestis instar atrocem stragem edit. Quae ergo illo tempore profuere, nunc forte nocebunt aut saltem non sufficient. Sic nuper demum Viennis in nosocomio puerperas morte abreptas esse comperimus, quum annis praeteritis sat facili negotio servatae fuerint. Num methodus pristina propterea hodie plane erit rejicienda? *Deinde* concedi debet, non raro in methodo probata exsequenda fines excessisse eaque ita abusos esse medicos, ut jure in suspicionem ipsa veniret, quemadmodum methodus purgandi, stimulandi, sanguinis educendi, calefaciendi et refrigerandi. Quid mirum ergo, si altera male adhibita effectu destituta alteri cessit? *Tum* experientia edocti scimus, morbos non paucos diversis modis vinci posse, dum, aequilibrio actionum sublato, harmonia ex altera parte diminuendo ex altera addendo restituatur. Exemplo tibi sit congestio sanguinis ad vasa capillaria, quae nunc debilitantibus nunc roborantibus superabitur, prout viam eliges aptam. Ipsa enim disharmonia actionis vasorum sanguiferorum majorum et capillarum nitens nunc illarum infracta nunc harum aucta vi tolletur. Nonne enim, quae sanguinis impetum ad vasa minora debilitando imminuunt et quae minorum contractionem roborando augent, interdum aequae salutaria reperta sunt? Sic forma morbi contraria methodo non raro aufertur, quamquam revera par nobis esse non possit, quomodo ad desideratum perveniamus scopum, si aptissima incedere studeamus via. *Tandem* vero eximiae organismi virtutis memores simus, qua efficientia organorum sociata non solum morbos, sed errores medicorum quoque vincere valet. Quis enim non viderit, quamplurimos aegrotos medicina carentes aequae bene evasisse periculum quam eadem utentes? Nilominus plerumque medico tribuitur, quam ipsa natura deportavit victoria, et

quam facilius forte deportasset, si ille circulos ipsius non turbasset. Tale vero est ingenium humanum, ut quid praecesserit causam effectus esse credat. Quemadmodum enim medicastri venena effugiens aegrotus non raro ab eodem sanatus habetur, sic medicus quoque proli dolor! non raro laudibus extollitur, ubi miser ab eodem ad mortem fere deductus divinitus tandem autocratia organica adhuc servatur. Multitudini tale iudicium ignoscendum est, quum medici ipsi haec in re saepe fallantur. Maximis sane observatio et experientia in arte nostra difficultatibus premitur et ingenii acumen haud vulgare nec non animi integritas ab omni partium studio libera hoc in negotio rite perspiciendo requiritur, ut quis ad viri summi *Hufelandi* exemplum ingenue fateatur, ex novem aegrotis a se tractatis non nisi unam arti vitam debere, ceteros octo naturae. Quis enim gloriae amore non flagraret, quis laudis cupidus non esset? Tolerari ceterum eiusmodi laudis studium facile posset, si observata semper candide impertirent, et, quid contrarii inventum sit, subjungerent. Sed molestus et arti sane non proficiuus est mos, quo exempla curarum male cedentium tacere et non nisi fausti exitus mentionem facere solent. Melius hercle consuleretur arti, si, quantum spem exitus fecerit, acque simpliciter, ac quantum eventus rem commendaverit, quisque referret. Sed confusio proli dolor! augetur, quum vel absque cautione pericula facta et praeeconceptis opinionibus instituta experimenta publici juris fiunt, ideoque falsa pro veris venditantur. Densus igitur plerumque in explorando febrium processu tenebris circumfusum medicum spectatoris magis, quam actoris partes eligere decebit, se non naturae magistrum sed ministrum esse memorem. — Sed et in *chronicis* morbis, in quibus, naturae viribus non raro quiescentibus, ab arte imprimis auxilium sperandum est, sexcenties labi directe emendandae remedia non sufficient. Cachexiae variae longo temporis spatio evolutae diversis atque implicitis niti solent perturbationibus, effectum vero nonnisi ultimum plerumque videmus. Ad ipsum tollendum rem omni ex parte perspicere juvaret. Quis enim opus affabre factum ex mille partibus compositum, sed lapsu perturbatum vel quiescens, in integrum restitueret structuram ejus et causam mendae ignorans? Nonne medicus, qui labis effectum in superficie pullulantem videt,

plerumque aequae coecutiens adstat nihilominus ad corrigendum vitium paratus, non raro audacem manum admovent? Caveas, ne acie praestrieta opus suscipiens subtilem machinam corrumpas! Quid vero faciendum, si neger auxilium petit, si vitam tibi credit? Cautè incedenti non omne tibi praesidium deerit. Quamdiu vita perstat, organici motus ad conservandum et restituendum totum nitentur et laborem a te suscipiendum egregie invabunt. Quae enim organismi sani integritatem conservat vis, eadem quoque aegroti restituere nititur, ideoque jure *medicatrix* appellatur. Perpendas, vigorem organismi materia niti rite constituta. *Hanc resarcire studeas* oblati alimentis aptis ab intestinis facile subigendis. Perpendas, vicissitudinem materiei perpetuam ad conservandam vitam requiri et, quae ingesta, assimilata atque apposita erant, post breve temporis spatium corrupta separari et eliminari debere, ideoque ubivis patere atria maxima corruptas partes exhalantia. *Hanc dissipationem adjuves*. Perpendas, ad perficiendam eformationem et sustentandos processus hunc finem spectantes actiones requiri alacres. *Languentes ergo provocas*. Perpendas, ad sanitatem reducendam omnium organismi partium aequilibrio et functionum harmonia opus esse. *Hanc reducere studeas*, hic addendo et provocando, illic demendo et compescendo.

Sic ordinem motuum interiorum non directe quidem sed forte indirecte ad normam reducens auxilium ferens saepe non spernendum. Multiplex enim est mutatio, quam materia ab organismo recepta subire debet, priusquam inutilis reddita rursus ejiciatur. Assimilationis actu nimirum alimentorum ultima elementa disjuncta modo plane novo combiuntur ita, ut polaritatis negativae vi metalloïdibus potius scateant humores animales geniti, quam salium, quod credunt, basibus aut his ipsis, quae analysi chemica detegantur, jam formati. Vegetationis, uti monuimus, actu autem ulterius progrediente oxygenium sensim sensimque iisdem jungitur, donec eodem repleta organismo amplius inservire nequeant et polaritatis positivae vi praevalente per peripheriam dissipentur. Tunc hydrogenium oxygenatum in forma aquae cum acido lactis per cutem, carboneum oxygenio repletum in forma acidi carbonici per pulmones, azotum eidem sociatum in forma urei cum acido urico ipso per renes ejicitur. Etenim non nisi medio oxydationis

gradu, a polo negativo ad positivum incremente, organica indoles perstat, absoluto autem cursus tandem perit. Continuata ergo per organismum migratione perpetuo processui chemico prima stamina illa subjiuntur, quo finito oxygenio repleta ejiciuntur, ideoque secreta eliminanda naturam praecipue acidam ostendunt. Ne credas, sententiam nostram conjecturae originem debere; ad experimenta virorum cell. *le Roux*, *Magendie* et *Berzelii* provoca. Quum vero hanc vicissitudinem per ultimos recessus persequi nequeas, in emendando processuum animalium principio et fine acquiescere, quam ignotos et forte salubres motus perturbare, satius est. Itaque in *adiuvanda* per venas neque ac per vasa absorbentia *resorptione* et *promovenda* per varia colatoria *excretionem* cardo rei verti videtur, ut vegetationis et plasticitatis actus juventur et corrigantur. Experientia edocti a pristinis inde temporibus hanc viam ingressi sunt medici, ceterum plerumque rei nexum ignorantes vel negligentes. Atria majora adinvenendis remediis praecipue apta esse bene viderunt, sed male non raro rem explicuerunt. Dignitate eminent inter illa *canalis intestinorum*, in quo processuum chemicorum initium et finis conspicitur, dum systemati venae portae, primario assimilationis foco, junctus resorptioni aequae ac excretioni imprimis inservit. Hic ergo ingerendis medicamentis praeceteris conveniet. Caveas autem, ne alterum ejus officium, promotum altero, impedias et in errorem nunc medicorum evacuationi nimium tribuentium, nunc excitando modum excedentium incidas, sed aequilibrium utriusque negotii servare et restituere studeas nutrientibus, tonicis et evacuantibus apte junctis. Alterum, quo intrant et exeunt processui plastico subjienda elementa, est *cutis*. Hanc simili diligentia foveas et vestimentis, cubilibus, frictionibus, balneis et externe applicatis ita tractes, ut duplex ille processus rite adjuvetur. Quot enim ex perturbata hujus organi functione originem ducunt, tot eadem quoque, ut decet, tractata tolli possunt morbi tum acuti cum chronici, quamquam in his non raro in detrimentum aegroti negotium negligatur. Tertium in curandis morbis aequae crebro neglectum atrium accessui simul atque eliminationi dicatum sunt *organa respirationis*. Sedulo igitur ad atmosphaeram quoque oculos dirigas, ne calore aut frigore, ne siccitate aut humiditate, ne exhalationibus varii ge-

neris nocent, et processum respirationis nunc motu, nunc idoneo vapore, nunc sanguinis circulatione ordinata, vel remediis pectus concutientibus adjuves. Simili attentione et *organa mere excernentia*, praecipue *renes*, erunt digna. Interdum vero omnes egressus illi absolvendo negotio non sufficiunt, sed novae ab organismo aperiuntur viae, formati organis secretoriis innormalibus, veluti ulceribus et exanthematibus. Haec medicus, ceteris excretionibus in ordinem redactis, superflua quidem reddere, sed neutiquam ante tempus obturare imo imitari studeat, ubi necessitas urget, insolitis secretionibus arte provocatis.

Circulationis atque nervorum actionis moderatio et excitatio non simplici actu perficitur et manca est remediorum in *debilitantia* et *roborantia* divisio. Quemadmodum enim organismi vigor et robur non peculiari debetur principio, sed ex harmonia functionum prodit, sic remedia quoque directe debilitantia et roborantia non existunt. Venaesectio v. c. debilitantibus plerumque annumerata non solum, ubi immittenda est superflua sanguinis copia, instaurat vires, sed etiam, ubi debile cor et vasa normalem ejus quantitatem non perferunt, vigorem adjuvat et vitam producit ideoque roborantis subsidii locum obtinet, quod cordis atque pulmonum organica vitia saeculorum probant. Et nonne digitalis purpureae herba, quae circulationem egregie compescit ideoque a cel. *Rasori* ad contrastimulos primarios refertur, neutiquam tamen vere inflammatis organis conducit, quamquam egregium atonico et relaxato cordi praesidium praebet? Nervorum contra morbi cum debilitate eorum actionis incedentes, quod supra jam monuimus, non raro laxantibus, sudoriferis aliisque evacuantibus et mercurialibus egregie tolluntur, ideoque ipsa, reducto libero istorum commercio, vel aetheri et moscho palmam praeripiunt.

Utinam processus animales intricatos et impedimenta eorum semper perspiceremus! Tunc sane viam rectam ubique absque difficultate inveniremus, et exoptatum scopum tuto attingeremus. Sed crassis adhuc, quas dissipare futuris demum saeculis reservatum esse videtur, organismi penetralia teguntur tenebris. Quamdiu autem cognitio organismi et rerum externarum manca erit, tandiu quoque medicinae theoriae imperfectae et vanae appa-

rebunt. Num ulla expectationi hucusque satisfecit? Historiam artis nostrae adeas et quot hypotheses in medium prolatae, nunc laudibus celebratae nunc ad absurdum deductae, rursus corruerint satis superque elucescet. Quae per secula floruerunt sententiae, hodie deridentur, et quae pro certis nunc venduntur, post decennia de novo forte erroribus crassis annumerabuntur. Quo rapidiores scientiarum auxiliarium sunt progressus, eo major quoque medicinae faciei mutatio esse debet. Hinc recentiorum praecipue temporum in theoriis medicis tanta vicissitudo. Absurdum esset contendere, nos in perscrutanda rerum natura ad metam jam pervenisse et iusequentibus annis detegendum nihil relictum esse, absurdum propterea quoque foret, medicinam, quae tot cognitionibus alius nititur, omnibus modis absolutam praedicare et in theoriam ejusdem ullam jurare. Sufficiat materias eidem quondam exstruendae aptas conferre et allatas, quantum fieri potest, in usum artis convertere, sed absit a nobis, fundamento certo adhuc deficiente, aedes emunire, quae primo assultu dejicerentur. Nos in praeceptis quoque commemoratis forte erramus, sed in errore perseverare non conamur, ad emendanda et perficienda ipsa semper parati, non famam doctrinae sed generis humani salutem in medicina summum esse finem bene memores. Sufficiant haec ad sententiam nostram de theoriis medicis et artis formulis summis dijudicandam.

Conspectus morborum elapso triennio a nobis tractatorum.

Nominandae jam sunt morborum formae, quae nobis occurrerunt, sed ex inveniendo nomine iterum nova enascitur difficultas. Quae in usu sunt morborum nomina naturam eorum non designant, nec legitima ipsorum dispositioni conveniunt. Ex fortuito plerumque symptomatum concursu tantum eligi solent, natura mali neglecta. Exemplo sunt colicae, convulsionum, asthmatis, tussis, vomitus, diarrhoeae et innumerae aliae denominationes. Sed nonne in eodem aegroto nunc plures ejusmodi formae simul eodem ex fonte proveniunt? Nonne idem morbus vario tempore diversam prae se

fert formam? Sic vitium organicum in cerebro latens sensim sensinque evolutum nunc cephalalgiam, nunc vertiginem, nunc amaurosin, nunc fatuitatem, nunc delirium, nunc convulsiones gignit. Sic cordis vitium et vasorum labes nunc morositatem et hypochondriam, nunc asthma, nunc tussim, nunc haemorrhoides, nunc hydropem provocat. Sic hepatis vitium nunc colicam, nunc vomitum, nunc icterum, nunc varias cachexias procreat, sic erysipelas aut scarlatina refugiens phrenitidem parit, sic rheumatismus in ischiada vel myelitidem abit, sic idem pulmones afficiens hodie catarrham generat, cras neglectus pneumoniam; haec forte asthma relinquit, quam tussis chronica sequitur; hanc febris lenta excipit et tandem hydropem miser perit. Quam diversa interdum ex organo quodam destructo faciei morborum mutatio, quam longa saepe malorum series, quot formae ex eodem fonte profluentes! In memoriam revoces innumera mala inflammationis ope, praecipue in corde et vasis genita, processus omnes alios diversissima ratione perturbantia. Addas phaenomena varia a productis morbi, secretis innormalibus, ut bile, pituita, sero, lymphâ et pure corruptis, provocata et symptomatum congeriem reperies, quorum nexus nodi gordii instar solvi nequit.

Sed vice versa non raro quoque mutata morbi natura forma perstat, et ex diversa labe symptomatum associatio simillima in scenam prodit. Exemplo est icterus, et colica. Illi nunc inflammatio, nunc induratio, nunc suppuratio hepatis, nunc impedimentum excretionis ex calculo aut spasmo subest, huic nunc irritamentum ex ingestis vel secretis, aut taenia, aut phlogosis, aut concretio, aut desorganisatio. Simili modo res sese habet in febribus, praecipue intermittentibus. Quis tanto in rerum discrimine idoneum morbi nomen reperiet? „Medici, ais, interest neglecto nomine in mali naturam inquirere, ex hac ad ordinem quod aberrat redigere, ex hac indicationem formare et methodum curandi eligere.“ Consentio et huic rei perficiendae omnis aevi medicos summos operam impendisse probe scio. Num multum profecerunt? Evolveas enchiridia medica et in recentissimis confusionem invenies maximam. Describuntur nunc quidem alii morbi exacte secundum decursum et stadiorum discrimina, nunc vero non nisi eorundem symptoma-

ta aut sequelae diverso nomine insignita. Quod nunc morbus, modo dispositio nuncupatur et perpetuo causae et effectus notiones commiscentur. Quae nunc considerantur organorum male constitutorum, ut cordis, pulmonum, hepatis, lienis et glandularum vitia, nunc in describendis morborum formis alio nomine venientibus, ut asthmatis, colicae, vomitus cruenti, fluxus hepatici, icteri, morbi nigri atque hydropis, inter causas eorum enumerantur et ubique repetitioni et circulo locus datur. Quid multa? Systemata nosologica nostra ad recentissima usque tempora non nisi congeriem praedispositionum, morborum ipsorum, eorumque symptomatum, quae formarum peculiarium nominibus insignantur, offerunt. Sed unde haec capitum confusio, unde haec systematum turbatio? Ex ordine quodam rem disponi et ad classes et genera morbos revocari mens humana postulat, ideoque systemata medica ad exemplum naturae curiosorum jam dudum componere studuerunt. Sed quemadmodum in systemate mineralogico fossilibus loca tunc demum certa assignari possunt, ubi partes eorum constituentes innotuerint, quum ex superficie, pondere, duritie, colore et forma repetita minoris usus et inconstans sit distinctio, sic in nosologia quoque verus et constans morborum ordo non nisi ex eorum natura constituendus erit. Quamquam enim *systemata* quae morbos ad classes, ordines et genera sua reducunt cum *theoriis*, quae nexum phaenomenorum causalem explicant, confundi non debeant, illa tamen his nituntur, quod ex membrorum singulorum commercio totius indoles praecipue cognoscitur. Quamdiu igitur theoria nondum satis exulta est et vel erroribus scatet, bona et apta quoque morborum dispositio systematica non existet.

Qui in eadem constituenda non nisi fortuita morborum attributa, phaenomenorum et symptomatum concursus, respiciunt, morbos natura sua diversissimos ad idem genus referent et affines a se invicem segregabunt, in magnum studii detrimentum. Qui vero ex indole vera eosdem dividere suscipiunt, natura eorum latente facile ad formandas hypotheses abripiuntur, cognitionis inopiam commentis compensantes, non minori artis dispendio. Inde utramque methodum plerique conjungere studuerunt et, quae ex characteribus essentialibus in ordinem redigere non potuerunt, ex attributis

fortuitis componere ausi sunt. Quis autem non videt, distinctiones diverso dividendi fundamento nitentes rite inter se conjungi non posse et confusio-
 ni ansam praebere debere, quod membra earum coordinari nequeunt? Au-
 getur difficultas, quod organismas in eodem statu vix perseverat, sed in de-
 cursu morbi contrariis non raro mutationibus subicitur ita, ut diverso tem-
 pore consideratum malum diversam prae se ferat naturam ideoque difficile
 ad idem genus reducat. Strenua finitur adynamia et febris inflammatoria
 in putridam facile transit. Num stadia ergo opposita mali natura insignia
 eidem morbo nunc hunc nunc illum locum concedere permittunt? Quot
 porro interdum momenta in morbis complicatis concurrunt, et per quot late-
 bras daedaleosque recessus malum saepe prorepat? Quam longe non raro est
 permutationum in organismo se invicem excipientium series priusquam phaen-
 omena prima in conspectum veniant, et quot membra causarum et effe-
 ctuum catenae in organismo latent priusquam unum vel alterum conspicias?
 Quam irregularis tandem saepe est decursus morbi, quam varia ejus loci mutatio?
 Sexcenties medico casus occurrunt, in quibus non sedem tantum mali igno-
 rat, sed formam quoque desiderat et, quid curandum ipsi offeratur, nescit
 non nisi symptomata vaga et inconstantia reperiens. Persequaris evolutio-
 nem morborum cachecticorum aliorumque chronicorum et ubique explora-
 tionis impedimenta invenies. Explices, quaeso, processus innormales et
 actiones vitiatas omnium, quae in arthritide, chlorosi, scorbuto, herpete et
 hypochondria formandis symbolam suam conferunt, partium et ingenue tibi
 fatendum erit, naturae viam et opus caligine tectum sagacissimo quoque
 oculo sese subtrahere. Hinc illa classium descriptio partim hypothetica, par-
 tim confusa, hinc illa systematum nosologiae imperfectio. Quis non optaret,
 ut talia doctrinae impedimenta tandem removerentur, quis non desideraret
 ordinem materia et usu vere dignum? Nam eventum unquam sperabis?
 Ad exsequendum consilium ab ovo incipiendum esset. Perspectis nempe
 morbi seminalis vim potentiarum nocentium eorumque effectum, progressum
 mali et intimarum evolutionum ordinem, processuum chemicorum naturam
 et legem, affectus atque consensum solidorum, mutationes fluidorum, omnem-
 que illorum nexum cognoscere et enucleare deberes. Hac via si obstacula

vincere liceret, ad finem exoptatum pervenire posses. Tanto autem opere, quod cum successu quidem in se suscipere coepit cel: *Kreysig*, ad finem nondum perducto, quid nunc faciendum nobis restat? Status morborum in eodem aegrotante se invicem excipientes perpetuo mutantur, alter alterum provocat et longa eorum interdum series conspicitur. Qui illius est effectus huius denuo causam constituit. Propterea medicorum alter aut momentum causale internum aut non nisi symptoma appellat, quod alter morbum ipsum esse contendit, et plures paradoxam opinionem, causam morbi proximam (i. e. veram) morbum ipsum esse, fovent, quum tamen effectus cum causa identicus esse nequeat. Ne in eundem incidamus errorem, notionem morbi rectam teneamus necesse est. Opponitur hic *sanitati* ideoque ad genus commune erit revocandus. Itaque, si sanitatis vocabulo certus quidam organismi status insignitur, et morbus ejusdem statu quodam continebitur. Nunc sanitas in consensu harmonico functionum ad conservandum organismum conspicitur, morbus ergo ei contrarius erit status, quo, harmonia illa perturbata, aequamentum actionum sublatum apparet. Mala ideo organismi constitutio, vel qualitas ejus immutata, quae status innormalis rationem sufficientem constituit, non nisi *causa* morbi erit habenda. Sic vitium organicum post mortem forte tandem inventum, sic qualitas humorum vitata, sic cohaesio solidorum haud sufficiens non erunt morbi ipsi, sed status demum organismi inde nati, quibus functiones iisdem perturbatae in conspectum veniunt. Si vitia illa morbi nomine insignires, notionem *causae proximae*, i. e. verae, pariter atque *praedisponentis* ex pathologia eliminares et non nisi *momenta causalia externa* relinqueres; et quum latere possint ejusmodi qualitates organismi a norma recedentes, morbos absque symptomatibus admitteres. Jure quidem morbi cognitionem ex illis tantum haurire conaberis et curam ipsam a tollendis causis incipies, sed ad inveniendum morbi nomen et ordinem systematicum hac distinctione carere non poteris. Semper quidem difficultates ex mutata morbi per decursum et evolutionem facie nec non ex complicatione et irregularitate formae profluentes manebunt, sed omnes tali in re removere sane magni esset Apollinis.

Quae quum ita se habeant, in proponendo nunc morborum a nobis

tractatorum catalogo indulgentia Tua, benevole lector, utamur, distinctiones et denominationes nostras, ne nova terminologia aliis non usitata et forte obscura perspicuitati injuriam inferamus, usui loquendi communi adaptantes. In verbis simus faciles, modo in re conveniamus. En indicem ipsam!

Aegroti in nosocomio recepti et tractati.

Anno c1818cccxviii.

Morborum formas.	Numerus aegrotorum.	Numerus sanatorum.	Numerus non sanatorum.	Numerus mortuorum.	Numerus in nosocomio adhuc versantium.
Febris acuta	11	9	—	1	1
Febris lenta	4	3	—	1	—
Febris intermittens	3	3	—	—	—
Pneumonia	7	4	—	2	1
Encephalitis	1	—	—	1	—
Hepatitis	1	1	—	—	—
Enteritis	1	—	—	1	—
Erysipelas	2	2	—	—	—
Angina	1	1	—	—	—
Haemoptysis	1	1	—	—	—
Haemorrhagia uteri	3	3	—	—	—
Catamenia suppressa	1	1	—	—	—
Phthisis	7	1	—	6	—
Lienteria	1	1	—	—	—
Commotio cerebri	2	1	1	—	—
Rheumatismus	2	2	—	—	—
Hydrops	4	2	—	2	—
Arthritis	2	2	—	—	—
Morbus haemorrhagicus Werl- hofi	1	1	—	—	—
Lues venerea	6	5	—	—	1
Gonorrhoea	2	2	—	—	—
Fatuitas	1	—	1	—	—

Morborum formae.	Numerus aegrotorum.	Numerus sanatorum.	Numerus non sanatorum.	Numerus mortuorum.	Numerus in nosocomio adhuc versantium.
Apoplexia	1	1	—	—	—
Paralysis	2	1	1	—	—
Epilepsia	2	2	—	—	—
Spasmi	1	1	—	—	—
Colica	1	1	—	—	—
Ischias nervosa	1	—	—	—	1
Herpes	3	2	—	—	1
Pustula livida Esthonorum	1	—	—	1	—
Scabies	2	2	—	—	—
Cachexia universalis	1	—	—	—	1
Summa	79	55	3	15	6

Anno 1833.

Morborum formae.	Numerus aegrotorum.	Numerus sanatorum.	Numerus non sanatorum.	Numerus mortuorum.	Numerus in nosocomio adhuc versantium.
Febris acuta	18	17	—	2	—
Febris lenta	3	3	—	—	—
Febris intermittens	3	3	—	—	—
Angina	2	2	—	—	—
Pneumonia	2	1	—	2	—
Hepatitis	1	1	—	—	—
Gastritis	1	1	—	—	—
Inflammatio uteri	2	2	—	—	—
Phthisis	5	2	1	1	1
Hydrops	10	7	—	3	—
Arthritis	2	2	—	—	—
Ischias nervosa	—	1	—	—	—
Rheumatismus	4	4	—	—	—
Lues venerea	8	8	—	—	1
Fluxus albus	1	1	—	—	—

Morborum formae.	Numerus aegrotorum.	Numerus sanatorum.	Numerus non sanatorum.	Numerus mortuorum.	Numerus in nosocomio adhuc versantium.
Carcinoma uteri	1	—	—	1	—
Morbilli	1	1	—	—	—
Herpes	1	2	—	—	—
Melancholia	1	—	1	—	—
Moria	2	1	1	—	—
Epilepsia	3	2	—	—	1
Scelotyria	1	—	1	—	—
Apoplexia	1	—	—	1	—
Hemiplegia	1	—	1	—	—
Asthma chronicum	1	1	—	—	—
Colica	2	2	—	—	—
Diarrhoea	1	1	—	—	—
Torpor universalis	1	1	—	—	—
Cachexia universalis	—	—	—	—	1
Summa	79	66	5	10	4

Nota. Qui ex praeterito anno in nosocomio remanserant, hoc anno receptis non adnumerati sunt.

Anno c183ccxx.

Morborum formae.	Numerus aegrotorum.	Numerus sanatorum.	Numerus non sanatorum.	Numerus mortuorum.	Numerus in nosocomio adhuc versantium.
Febris acuta	9	6	—	3	—
Febris lenta	2	1	—	—	1
Febris intermittens	3	3	—	—	—
Angina	1	1	—	—	—
Glossitis	1	1	—	—	—
Laryngitis	1	1	—	—	—
Pleuritis	1	1	—	—	—
Enormitas cordis	1	—	—	1	—
Haemoptysis	1	1	—	—	—
Vomitus cruentus	1	—	—	—	1

Morborum formas.	Numerus aegrotorum.	Numerus sanatorum.	Numerus non sanatorum.	Numerus mortuorum.	Numerus in nosocomio adhuc versantium.
Haemorrhagia uteri	1	1	—	—	—
Amenorrhoea	2	2	—	—	—
Cachexia universalis	2	—	—	1	2
Phthisis	4	2	—	3	—
Arthritis	3	3	—	—	—
Rheumatismus	6	6	—	—	—
Lumbago	1	1	—	—	—
Scrophulae	1	1	—	—	—
Lues venerea	3	4	—	—	—
Fluor albus	1	1	—	—	—
Hydrops	6	3	1	2	—
Hydrocephalus acutus	1	1	—	—	—
Icterus	1	1	—	—	—
Dyspepsia	1	1	—	—	—
Diarrhoea	1	1	—	—	—
Asthma	2	1	1	—	—
Tussis chronica	1	1	—	—	—
Colica	1	1	—	—	—
Epilepsia	—	1	—	—	—
Eclampsia	1	1	—	—	—
Hypochondria	2	2	—	—	—
Hysteria	1	—	—	—	1
Apoplexia	2	1	—	1	—
Paralysis	1	—	1	—	—
Amaurosis	1	—	1	—	—
Carcinoma uteri	1	—	1	—	—
Ulcera rheumatica	1	1	—	—	—
Summa	69.	52	5	11	5

Nota. Rursus qui ex anno praeterito in nosocomio adhuc commorabantur inter receptos enumerati non sunt.

Itaque in universum elapso triennio 227 aegrotos excepimus, 173 sanatos et 13 non sanatos dimisimus, 36 diem obierunt et 5 adhuc remanserunt. 106 illorum aegrotorum fuerunt sexus virilis et 112 sexus feminei.

Aegroti ambulantes in instituto clinico tractati.

Ambulantium accuratior conspectus a nobis exhiberi non potest, quia plures eorum diligentem curam negligunt, eidem se subtrahunt, aut restituti vel levati ad nosocomium non redeunt, omnes autem domi invisere per tempus vel loci distantiam non licet. Sufficiat igitur morborum formas, quas observandi occasio se nobis obrulit, nominasse:

Anno cDlccccxviii. sequentes tractavimus aegrotos: 4 cum febre acuta, 2 cum intermittente, 3 cum scarlatina, 2 cum pneumonia, 3 cum hepatitis, 2 cum angina, 2 cum ophthalmia, 1 cum erysipelate, 2 cum gonorrhoea, 1 cum fluore albo, 1 cum orchitide, 2 cum haemorrhagia uteri, 5 cum rheumatismo, 7 cum tussi, 1 cum asthmate, 2 cum dyspepsia, 5 cum diarrhoea, 1 cum obstructione alvi, 2 cum cardialgia, 5 cum colica, 6 cum vermibus, 4 cum scrophulis, 2 cum atrophia, 2 cum phthisi, 28 cum lue venerea, 2 cum salivatione, 1 cum stomacace, 5 cum herpete, 3 cum scabie, 3 cum ictero, 2 cum arthritide, 1 cum hypochondria, 6 cum hysteria, 1 cum melancholia, 6 cum epilepsia, 1 cum chlorosi, 1 cum paralysi, 2 cum amblyopia, 1 cum surditate, 2 cum hydrocephalo acuto, 1 cum ascitide, — in universum 131. —

Anno cDlccccxix. aegroti ambulantes hi auxilium a nobis efflagitarunt: 8 c. febre acuta, 2 c. febre lenta, 4 c. febre intermittente, 1 c. febre urticata, 1 c. angina, 1 c. erysipelate, 1 c. gonorrhoea, 1 c. fluore albo, 4 c. amenorrhoea, 10 c. rheumatismo, 1 c. ischiade nervosa, 7 c. tussi, 1 c. asthmate, 3 c. dyspepsia, 9 c. diarrhoea, 4 c. colica, 4 c. vermibus, 2 c. scrophulis, 1 c. tinea capitis, 1 c. atrophia, 15 c. phthisi, 15 c. lue venerea, 1 c. scorbuto, 5 c. scabie, 1 c. ictero, 1 c. arthritide, 1 c. hypochondria, 3 c. hysteria, 2 c. melancholia, 1 c. moria, 2 c. convulsionibus, 6 c. epilepsia, 1 c. paralysi, 1 c. amblyopia, 8 c. hydrope (quorum unus laborabat hydrocephalo chronico), 1 c. tympanitide, — in summa 130. —

Anno denique ultimo cDlccccxx. curandos suscepimus hos: 10 c. febre acuta, 3 c. febre intermittente, 1 c. phlegmone, 3 c. ophthalmia, 1 c. macula corneae, 3 c. angina, 3 c. otitide, 1 c. pneumonia, 4 c.

catarrho, 15 c. rheumatismo, 1 c. inflammatione periostei, 1 c. lumbagine, 1 c. ischiade nervosa, 4 c. herpete, 1 c. crusta serpigiosa, 1 c. purpura, 4 c. aphthis, 1 c. polypus narium, 1 c. stranguria, 1 c. gonorrhoea, 3 c. fluore albo, 1 c. carcinomate uteri, 2 c. amenorrhoea, 1 c. haemoptysi, 3 c. asthmate, 5 c. phthisi, 25 c. lue venerea, 3 c. arthritide, 9 c. scrophulis, 1 c. tinea, 7 c. hydrope, 2 c. ictero, 3 c. dyspepsia, 10 c. diarrhoea, 1 c. cardialgia, 2 c. vomitu, 5 c. colica, 2 c. prolapsu ani, 15 c. helminthiasi (inter quos 6 taenia laborabant), 1 c. spasmis vagis, 1 c. tussi convulsiva, 7 c. epilepsia, 1 c. eclampsia, 9 c. hysteria, 1 c. fatuitate, 2 c. vesania, 2 c. paralyti, 2 c. difficultate auditus, — in universum 186. —

Omnium ergo aegrotorum ambulantium praeteriti triennii numerus ad 447 evehebatur, cui si nosocomio ipso receptos addas summam 674 habebis. Quod ad hos attinet, hic quaedam adhuc moneuda sunt. Miraberis forte, eorum sextum fere morti succubuisse; ex 227 enim 36 diem supremum obierunt. Perpendas vero, in clinico nostro plerumque non nisi gravissimis morbis vexatos commorari, partim quod vulgus morbos diutissime negligere et ad nosocomium tum demum confugere solet, quando isti ad summum jam increverunt gradum, partim quod, aliis nosocomiis deficientibus, eos, qui auxilio praecipue indigent, excipere humanitas exigit, et tandem quod, observandorum morborum leviorum occasione in clinico ambulatorio data, exceptis singulis casibus, institutioni ipsi proficuum esse videtur, non nisi graviori malo decumbentes adsciscere. Longe enim a nobis abest, in minori mortalitate gloriam quaerere. Propterea quoque aegrotis, in quibus de salute plane desperandum est, locum concedere solemus, si morbi eorum augendae doctrinae inserviant. Ad exercendam enim praxin medicam, qualis usu offertur, omni ex parte tirores praeparari debent, et quum auxilium vel in re conclamata aegrotis denegare non liceat, in tempore juniorem medicum, quid tali in casu faciendum sit, addiscere decet. Ceterum, si radicatus malum evelli non potest, plerumque tamen levamen misero ferri et vita produci poterit, quo non raro quam optime medicus de aegroto pariter atque domo ejus meretur. Adde, quod tali in casu, qua opus est, patientiae tiro adsuescat et, quanta obstacula in suscipiendo opere

sese offerant, rite cognoscat; adde, quod cautione in prognosi et indicatione formanda uti, et nimiam sui et artis aestimationem reprimere addiscat. Et nonne tandem in mitigando morbo pertinaciter resistente ingenium praecipue acuitur? nonne in debellando malo atroci ad majorem virium intentionem, ad majorem diligentiam atque sollertiam obstaculis ipsis adigitur animus? Maximum tamen fructum, omni tandem opera irrita reddita, *sectiones cadaverum* offerunt. His plerumque demum judicium de natura mali aut confirmatur aut refutatur, his causarum effectus et symptomatum nexus praepriis cognoscitur et rei forte maxime obscurae lux clara accenditur. Iisdem solatium medico praebetur, si incassum vires ad tollendum morbum intenderat, impedimenta sanationis non vincenda reperienti; iisdem de morbis dynamicis, de debilitate et exhaustionem virium praeconceptione opiniones egregie retunduntur, quum, extinctioni plerumque organisationis labem subesse ostendant. Hac enim intacta morbum omnino morte finire non posse contendimus, quum, ipsa integra, ad normam functiones sponte reducantur. Vitia organica quidem sexcenties in cadavere reperta non esse et ubique sensibus nostris assequi non posse concedimus, sed si majori cum diligentia instituerentur sectiones, si partes subtiliores rite semper examinarentur, longe saepius mali fontem in depravatis detegeremus organis, eorumque materia corrupta. Quot a cel. *Morgagnii* inde temporibus nostro aevo organisationis mendas jam invenerunt, quas vetustas divinare non ausa est; quot vitia posteritati adhuc detegenda restant! Omnino hac in re non sufficit majora tantum viscera inspicere; examinanda non raro sunt subtiliora, membranae, parenchyma, glandulae, vasa et nervi. Juvaret vel analysi chemicae interdum ista subicere. Quis vero non videt, ejusmodi explorationem non exiguum temporis impendium exigere et maximis premi difficultatibus, quum obstacula huic negotio sese objiciant vix superanda? Propterea mirum videri non potest, in hoc scrutinio parum modo hucusque profecisse medicos et multa adhuc a tempore futuro esse speranda. Interim ut propius ad finem exoptatum accedamus omnibus jam viribus erit elaborandum, nec ulla sectionum cum diligentia instituendarum occasio praetermittenda. En causae, quibus commoti aegrotos quoque, quos fatum certo manet, in

nosocomium recipere non recusamus, idque eo lubentius, quo rarior medico practico secundorum cadaverum posthaec privata occasio offertur, praecipue in hisce regionibus, ubi incolae corporis post mortem inspectionem plerumque maxime aversantur. Diem supremum in instituto nostro obierunt e 98 *febre acuta* laborantibus 6, — e 9 *febre lenta* affectis 1, — e 9 *pneumonia* correptis 4 (iique vitiis organicis majoribus aut organorum destructionibus jam laborantes). — Porro morte finiebantur *encephalitis* in aegrotis, cujus organismus nimio potu labefactatus erat, — *enteritis* per longius tempus neglecta, — *pustula livida*, cui sero medicina vix unquam paratur, et *enormitas cordis* ad majorem gradum erecta. — Tandem ex 16 phthisicis 10 — ex 20 hydropicis autem 6 fato functi sunt. Cadavera omnium sectione aperuimus et res memoratu dignas non paucas invenimus, quod ex sequentibus luculentius apparebit.

Quod proportionem aegrotorum morbis acutis et chronicis laborantium attinet, illorum quidem numerum majorem ipsi desideravimus; inveteratis enim morbis chronicis laborantes diutius in nosocomio commorari solent ideoque varietati observationis officiant. Quum vero a nobis non dependeat pro lubitu aegrotos accersere, occasione, quae nobis sese offert, uti debeamus. Interim infitias ire non poteris, morborum chronicorum vice versa curam majori indigere acumine ingeui et ad excitandam solertiam praecipue facere, ideoque vix dolendum esse, rem ita evenisse.

De methodis curandi quibusdam praecipue in auxilium vocatis.

Sunt partim qui in scholis clinicis non nisi experientia longo tempore probatas curandi methodos admittendas, partim qui novas praecipue tentandas esse censeant. Sin autem duplicem ejusmodi institutorum finem, quo tum *addiscendae* cum *augendae arti* inservire debent, ante oculos habemus, neque horum neque illorum sententiae assentire possumus.

Primarius quidem, ut tuto et rite aegrotos curare discant discipuli, erit

scopus, sed, arte nondum ad perfectionis gradum desideratum everta, hoc non neglecto, et alterum persequi licebit. Qualis enim tentandis methodis novis aptior reperiri posset locus, quam nosocomium, in quo diligentia summa observantur aegroti et in quo omnia curae subsidia ad manus sunt, in quo omnia curae obstacula removentur et morbi sine interpellatione decursus animadversio conceditur? Propterea nos quoque, remediorum usu experientia longa confirmato nequaquam neglecto, in ancipite casu nova non respuimus. Refero huc venesectiones in typho et hydrope, usum hydrargyri oxydati rubri et auri muriatici in lue venerea, liquoris cupri ammoniacalis *Köchlini* in cachexiis, acidi hydrocyanici in morbis spasticis, nucis vomicae et phosphori in paralyti, olei anthelmintici *Chuberti* in helminthiasi, radice Ratanhiae in atonia intestinorum et Ipecacuanhae, ad exemplum cel. *Schiffneri Viennensis*, in morbis acutis et chronicis, ne magnetismi quidem animalis applicatione omni ex parte sprete.

Quod *febres* attinet, consulto easdem in hypersthenicas et asthenicas non distinximus, quum natura earum, quod typhi contagiosi stadia docent, in decursu non raro variet, et character aegre interdum definiiri possit. Disharmonia enim, qua morbus in genere nititur, non raro in hac parte tantam energiam ostendit, quantam adynamiam in altera. Quare phaenomenorum complexum intueri, nexum causalem explicare, statum et directionem virium in singulis systematibus et organis observare et aequilibrium actionum sublata restituere potius studuimus, quam processus clandestinos et ignotos ex hypothesi emendare vel impedire suscepimus, methodum expectantem saepe tutius ad finem exoptatum deducere, quam activam, quae non raro excitata turba vires languentes citius exhaurit, organa labefactata destruit et naturae conamina salutaria exitum felicem praeparantia nonnunquam intercipit, persuasi.

In tractandis *inflammationibus* mediam elegimus viam, Brunonis timorem venesectionis et recentiorum in evacuatione sanguinis audaciam pari modo evitantes. Hunc enim laticem non tantum incitamenti locum obtinere, sed simul molem a vasis movendam constituere et fontem reproductionis continere probe cognovimus. Propterea eundem vel in statu asthenico, si

vasa debilitata aut nimis repleta eidem promovendo non sufficiant, imminuere non dubitamus, quamquam temerariam ejus profusionem neutiquam probemus, jacturam nimiam vegetationi infestam ante oculos habentes.

In *phthisi* curanda successum praecipue habuimus, causarum, organorum affectionis et irritabilitatis vasorum ratione habita. Primo igitur momenti causalibus cum internis tum externis occurrere, iisque methodum adaptare studuimus, ut scrophulis, impeditis excretionibus naturalibus (praecipue cutis) suppressis exanthematibus etc. Tum sublatum aequilibrium functionum restituere et reactionem systematum et organorum ad transtem suum reducere tentavimus. Praesente erethismo locali vel universali, rejectis medicamentis stimulantibus, sopientia tonica et nutrientia praecipue in auxilium vocavimus, ut digitalem purpuream, plumbum aceticum et lichenem islandicum, organorum destructionem localibus sanguinis evacuationibus et remediis derivantibus compensantes, tussim vero et diarrhoeam praecipue opio mitigantes. Praesente contra torpore excitantia cum fructu adhibuimus, atoniam membranarum mucosarum imprimis phellandrio aquatico, myrrha et fumigationibus resinosis (v. c. ex pice fluida secundum cel. *Crichtoni* praecepta institutis) corrigere conati. Sic, ubi malum radicitus evelli non potuit, vitam tamen non raro producere et morbum interdum ita imminuere, ut aegrotus ad negotia sua redire posset, nobis contigit.

Hydropicos non paucos sanavimus. Praeter ambulantes a nobis tractatos e viginti nosocomio receptis septem tantum diem supremum obierunt. Quam accumulatio seri exhalatione resorptionem superante nitatur, utrum illa potius aucta an haec impedita sit, praecipuis semper indagare suscepimus. Porro illam saepius, quam vulgo credunt, in causa esse, invenientes, utrum propter atoniam an erethismum vasorum capillarium hoc eveniat, disquirere studuimus. Quo in examine erethismum cum congestionem vel inflammationem incedentem longe plurimis in casibus subesse cognovimus, ideoque, eodem coercito, successum non raro vix speratum habuimus. Remediis hunc in finem a nobis cum fructu in auxilium vocatis praecipue venaesectioes, hydrargyrum muriaticum mite, digitalem purpuream, cremorem tartari et applicationem olei olivarum externam adnumero. Quamquam enim

sub usu eorum secretio urinae promoveri soleat, nunquam tamen ipsa tantummodo hunc in finem praescripsimus, quum certissime nobis persuasum sit, secretionem illam auctam causam mali tollere non posse, hac vero sublata, superfluos humores a natura ipsa expelli. Et nonne experientia satis superque docet, fortissimis interdum diureticis incassum adhibitis, sub apto regimine et diaeta, neglecto tandem omnium remediorum usu, non raro postea lotium magna copia secedere? Malus morbi nostri exitus haud dubie multis in casibus perperam admissae methodo stimulantis tribuendus est, quum eadem erethismus et inde pendens exhalatio augeatur, excretionibus serosis magis magisque suppressis. Quicumque perpendit, inflammationes saepissime effusione serosa finiri, quod scarlatina praecipue confirmat, quicumque in memoriam revocat, post paracenthesin abdominis, qua fibrae et vasa relaxantur et orgasmus humorum minuitur, urinam plerumque sponte longe majori in copia excerni, haud dubie in eo nobiscum consentiet, longe saepius de imminuendo erethismo vasorum serosorum, quam de excitanda actione vasorum resorbentium in curando hydrope cogitandum esse. Optime igitur de genere humano meruerunt praecipue Angli, qui morbi nostri curandi methodum, observationibus de usu remediorum debilitantium communicatis, praeter ceteris emendarunt, et praeceptis eorum nos ipsi successum debuimus ultimo tempore priori longe majorem.

Syphilis morbis nostrarum regionum frequentissimis annumeranda non modo adultos, sed pueros quoque atque infantes saepissime infestat et inter rusticos et pauperes praecipue grassatur, non coitu solum, sed communi cubilium, vestium et utensilium usu propagata ita, ut non raro domus integras corripit. Neglecta, male curata et cum aliis morbis, scrophulis maxime et scorbuto, complicata diversissimas ostendit formas, larvata saepissime prorepat et licet naturam mali, quod in Saecia *Radesyge* vocatur, leprosam vix ostendat, lento tamen passu organismum destruit. Vincere hoc malum ubi extinctionis methodo non contigit, ad salivationem plerumque cum fructu recurrimus. In utraque cura absolvenda partim unguentum mercuriale cinereum, partim hydrargyrum muriaticum mite, partim corrosivum (idque non interne solum, sed externe quoque ex praeceptis virorum cell. *Cyrillo* et *Hufeland*

applicatum) partim oxydam rubrum adhibuimus, junctis plerumque decoctis et balneis. Ceterum ad prohibendam salivationem applicationis mercurii mutuae, nunc internae nunc externae, vim, praesente cel. *Breva*, libentes experti sumus. Minorem effectum in usu fumigationum e cinnabari praeparatarum, liquoris cupri ammoniacalis *Koehlini* et auri muriatici vidimus, quam hoc complicationi scrophulosae optime respondere videatur. Quod vero dolendum est, non raro, qui sanati e nosocomio dimittebantur, vita dissoluta malum denuo confluxerunt, et qui ambulantes curae se subjecerant, flagitiis, inepta diaeta et malo regimine, praecipue hyemali tempore, sanationem impediverunt. Interim ex his quoque non pauci, spe vix relicta, hydrargyri muriatici corrosivi ope praecipue, praeter opinionem in integrum restituti fuerunt.

In *taenia*, quae endemice hic occurrit, expellenda egregium ex usu olei compositi *Chaberti*, a cel. *Bremsero* nuper commendati, effectum vidimus. Obtulit se nobis quidem non nisi species lata (*Bothriocephalus latus Bremseri*) facilius ejicienda; nihilominus, si per ingratum saporem ferri potest, ad eandem extinguendam hoc remedium praeceteris elegimus, quum assimilationem et vegetationis processum, quod saepius vidimus, egregie simul corrigat; quare in hunc finem, absentibus quoque vermibus, a nobis in auxilium vocari coepit.

Quomodo ceterum curandi methodos morborum formis et constitutioni aegrotorum accommodaverimus, ex historiis nunc subjungendis luculentius apparebit.

Historiae morborum memoratu dignae.

a) Febres acutae.

1) *Febris nervosa a Stud. Med. (nunc med. practico) Haarmann observata.*

Nadeshda, puella nationis rossicae, 21 aetatis annum agens, constitutionis tenerae, post deprimentia animi pathemata die xxvii. Nov. anni 1806cccxviii. levi horrore, subsequentibus calore, siti, doloribus capitis et artuum, correpta appetitu et mensium fluxu tunc temporis locum habente destituta fuerat, quod ipsa cubiculi humiditati et frigori tribuebat. Ad 1. Decembr. usque malo incrementi dolores colici adhuc accesserant, et quum auxilium nunc efflagitaret, medicus accedens pulsum frequentem et contractum, cutem et linguam siccam, sitim vero satis magnam invenit. Liquore ammonii acetici interne et pediluvii tepidis externe adhibitis die II. mensis Decembr. sub levi perspiratione cutis catamenia redierunt atque per tres dies continuaverunt, et quamquam appetitus adhuc deletus, sapor oris autem amarus esset, negotia ancillae consueta tamen denuo in se suscipere aegrotata ausa est. Interim die V. Decembris post somnum inquietum febris cum dolore capitis, horrore, aestu, siti et praecordiorum oppressione recruduit. Accesserat simul flavedo circa labia oris et nares et vespertino tempore vomitus biliosus, quare sequenti die medicus quindecim grana rad. Ipecac. cum grano uno Tartari stibiatii ipsi propinavit, quae vomitum excitarunt ter repetitum. Nihilo tamen secius febris increvit, et, lassitudine aucta, die VII. Dec. tussis adhuc cum diarrhoea supervenit. Praescriptum est infusum Hb Menth. pip.

et Summit. Millefol. cum Spiritu sulphurico-aethereo, potui autem additum Elixirium acidum Halleri. Vesperi petechiae in conspectum prodierant, et die VIII. Dec. obnubilatione capitis, calore et petechiis auctis, pulsus minor et inaequalis exstiterat. Tali in statu instituto clinico aegrota tradita est. Accepit hic primo: Rec. Rad. Calami arom. $\mathfrak{z}\beta$ Rad. Arnicae et Rad. Serpent. virg. $\mathfrak{z}\mathfrak{a}$ $\mathfrak{z}\mathfrak{i}\mathfrak{j}$ M. Inf. Aqu. font. ebull. q. s. Col. $\mathfrak{z}\mathfrak{v}\mathfrak{i}\mathfrak{j}\mathfrak{j}$ add. Tinct. Opii simpl. gutt. xxxj Spir. nitri dulc. $\mathfrak{z}\mathfrak{i}\mathfrak{j}$ M. S. Omni bihor. sumatur cochlear cibarium, potus loco autem decoctum panis cum Elixirio acido Halleri. Die sequenti diarrhoea cessabat cum exhalatione cutis ad vesperam aucta. Die X. Dec. nocte melius transacta, pulsus et respiratio regulares et liberiores erant. Successit tempore meridiano cum turgore cutis aucto sudor universalis satis copiosus, qui, quum hic dies morbi decimus quartus esset, spem instantis criseos excitavit, et medicamenta parcius exhibere nos commovit. Nihilominus febris vesperi, continuato sudore, denuo exarduit; et quamvis patechiae evanuerant, aegrota, subsequente nocte diarrhoea denuo vexata, die XI. Dec. magis exhausta cum cute arida et tussi aucta cubuit. Lingua mucro tecta erat et sapor in ore depravatus, mens autem magis turbata, oculus lacrymans, vultus obnubilatus, pulsus debilis et satis frequens. Praescripsimus nunc: Rec. Rad. Serpentar. virg. $\mathfrak{z}\beta$ Cort. Cinnam. $\mathfrak{z}\mathfrak{i}\mathfrak{j}$ Inf. Aqu. font. ebull. q. s. Col. $\mathfrak{z}\mathfrak{v}\mathfrak{i}\mathfrak{j}\mathfrak{j}$ add. Tinct. Opii simpl. gutt. xvj Spir. sulph. aeth. $\mathfrak{z}\mathfrak{i}$ M. S. Sumatur omni bihor. cochl. unum — et: Rec. Camphorae gr. vj Sacch. albi $\mathfrak{z}\mathfrak{i}\mathfrak{j}$ M. F. P. div. in part. aequ. no. xij S. Praebeatu omni bihor. vicissim cum mixtura dosis una. Nuchae imponebatur sinapismus, potui autem paullulum vini adjiciebatur. Die XII. Dec. diarrhoea quidem cessaverat, sed ceterum facies morbi eadem erat. Sequenti die, viribus cum redeunte alvi fluxu magis debilitatis, mixturae priori iteratae Tincturae Opii adhuc guttas octo, cuius autem dosi Camphorae grauum adhuc dimidium addere jussimus. Capiti simul imponebantur fomentationes ex aceto, et versus noctem aliquot guttae Laudani liquidi Sydenhami propinabantur. Die XIV. Dec. licet garricus paullo melius dormiverat aegrota, et diarrhoea denuo cessaverat. Die XV. Dec. nocte quietius adhuc transacta et calore ipso imminuto, paullulum jusculi assumsit, sequenti autem, viribus paullo magis refocillatis, vel erecto

corpore in lecto per aliquot tempus sedere valuit. Quum alvi profluvium non rediisset, caput autem adhuc affectum et sapor in ore depravatus esset, medicamentorum priorum usus, omisso tantum opio, continuabatur. Interim die XVII. Dec. praegressis doloribus colicis, pomeridiano tempore exacerbata cum febre diarrhoea recruduit ita, ut mixturae repetitae XXIV. guttas Tinct. theb. cum mucilaginis Gumm. arab. uncia una addere, et camphorae dosin ad duo grana augere non dubitaremus. Eodem tempore scrobicula cordis sinapismum, abdomini autem Ol. Anthos applicare, usum vini contra, quum aegrotata fastidiret, omittere decrevimus. Simulac sinapismus vim suam exseruerat, dolores colici evanuerunt, sed loco eorum vomitus et epistaxis leves apparuerunt. Die XIX. Dec. post sedes quasdam fluidas debilitas major et habitus tristior esse videbatur. Confessa est aegrotata, se ex longiori tempore moerore confici et nostalgia vexari. Sequentibus duobus diebus nihil mutatum reperimus, nisi diarrhoeam imminutam. Die XXI. ejusd. repetito alvi fluxu, cutis maeabat et cum exacerbatione vespertina vomitus et haemorrhagia narium parca redibat. Medicamenta hucusque adhibita aegrotatae jam molesta sequentibus nunc permutata sunt: Rec. Rad. Calami arom. ℥j Inf. Aqu. font. ebull. q. s. Colat. ℥viii add. Extr. Cort. aur. ℥ij TR Opii simpl. gutt. xxxij Mucil. Gumm. arab. ℥j M. S. Sumatur oroni bitor. cochl. cibar. et: Rec. Camphorae gr. xij Ol. Caryophyll. arom. gutt. vj Sacch. albi ℥j M. F. P. Div. in part. aequ. xij S. cum mixtura alternis vicibus praebetur dosis una. Abdomen simul cum linimento volatili camphorato et Oleo Anthos inungere jussimus. Die XXII. Dec. nausea perstante et lingua mucos magis tecta, sudor copiosus prorupit. Quum aegrotata potum acidum rursus concupisceret, aquae denuo Elix. acidum *Halleri* adjecimus. et corpus aceto camphorato lavare curavimus. Sequenti die sudor continuavit, sed facies frigida, parvus autem pulsus longe rarior et lingua purior reperiebantur. Ceterum aegrotata obtuso dolore capitis, susurra aurium et doloribus colicis vexabatur, quare clystma applicare et opii usum omittere praecepimus. Die XXIV. Dec. toto corpore sudore madens de sensu frigoris queri et delirare incepit. Propterea, camphorae aegrotatae jam nimis ingratae usu neglecto, Corticem peruvianum sequenti modo propinare decrevimus: Rec. Cort. Chinae flav. Rad.

Serp. virg. \bar{a} $\mathfrak{z}\beta$ M. Inf. Aqu. font. ebul. q. s. Col. $\mathfrak{z}\text{viii}$ add. Aetheris sulphurici $\mathfrak{z}\beta$ S. Omni bihor. sumatur cochlear majus. Lotiones vero cum aceto camphorato saepius instituere, Elixirium acidum potui majori in copia ad-
 dere, et suris atque nuchae sinapismos imponere jussimus. Sequenti nocte
 et altera die deliria erant fortiora, lingua vero purior reddita et alvus bis so-
 luta. Die XXVI. ejusd. aegrotata fere stupida cum pulsu minimo, inaequali et
 respiratione anxiosa sterosaque jacebat halitum fere frigidum edens. Tum for-
 tioribus stimulis opus esse censentes Camphorae $\mathfrak{z}\text{ij}$ in Aetheris sulph. $\mathfrak{z}\text{ij}$
 solvere et TR Canthar. $\mathfrak{z}\beta$ addere imperavimus eam in finem, ut sumeret
 hujus solutionis guttas decem cum quavis infusi prioris dosi mixtas. Plantis
 pedum praeterea sinapismos applicuimus et instaurandarum virium causa jus-
 culum carnis cum vitello ovorum et vino praebuimus. Die XXVII. Dec. post
 deliria nocturna aegrotata sui conscia et satis quieta, pulsus vero regularior
 erat; nihilominus respiratio molesta cum tussicula continebatur, et musculi
 faciei leviter convellebantur. Propterea in usu medicamentorum perseverare
 sed dosin solutionis camphoratae ad XV. guttas augere, cruribus autem ad-
 huc sinapismos imponere decrevimus. Nihilominus ad vesperam pulsus mi-
 nimus frequentior, cutis sudore madens, genae frigidae frons vero calida
 reperiabantur. Die XXVIII. Dec. aegrotata, nocte satis bene et absque diar-
 rhoea transacta, sui conscia non nisi de debilitate summa et perturbatione
 capitis conquerebatur. Lingua satis pura ac sitis imminuta erat et libenter
 aegrotata jusculum carnis cum vino et pane bis cocto assumsit. Ceterum pe-
 riodice vehementer adhuc sudavit. Praescriptum est: Rec. Cort. peruv. opt.
 $\mathfrak{z}\text{vj}$ Coqu. in Aqu. font. q. s. sub finem coction. add. Rad. Angelicae $\mathfrak{z}\beta$
 Rad. Serpent. virg. $\mathfrak{z}\text{ij}$ Colaturae $\mathfrak{z}\text{viii}$ admisc. Mucil. Gummi. arab. $\mathfrak{z}\beta$ TR
 Opii simpl. gutt. xvj Spir. sulph. aeth. $\mathfrak{z}\text{ij}$ M. S. Sumatur cum guttis camphora-
 tis supra memoratis omni bihorio cochlear majus. Die XXIX. Dec. aegrotata post
 somnum satis quietum vires paululum refici sensit et motum liberiores exer-
 cuit, quamquam caput adhuc obnubilatum erat. Die sequenti adhuc melius
 se habuit et pulsus paullo rarior fuit. Omisimus hodie usum Tincturae
 Cantharidum. Die XXX. Dec. nocte bene transacta, faeces spissas excrevit.
 Oculi vigorem incrementem et vultus tranquillitatem majorem ostenderunt,

pulsus frequens autem cum sudore adhuc continuavit et caput magis doluit. Omisso opio medicamina priora adhuc propinabantur. Die prima anni c1810cccxix. aegrotata bene quidem dormiverat et pulsuum frequentia fere evanuerat, sed meridiano tempore per tres excretiones alvi fluidas denuo se exhaustam sensit. Propterea infuso-decocto Tinct. Opii gutt. xvj rursus additae sunt, quae diarrhoeam compescuerunt. Die II. Januarii aegrotata corpus in lecto sponte jam erigere valuit, et febre, quantum ex pulsu judicari potuit, finita, appetitus quoque redire coepit. Altera die, quum sitis et sudor etiam cessarent, solutionis camphoratae usum omittere non dubitavimus, decocto sequenti modo mutato: Rec. Cort. per. opt. ℥j Coqu. in Aqu. font. q. s. sub finem Coct. add. Rad. Serp. virg. ℥β Colaturae ℥viii admisc. Spir. sulph. aeth. ℥ij S. Omnia bihorio sumatur cochlear unum. Die IV. Jan. aegrotatae de doloribus capitis et colicis levioribus querenti remedii hanc formulam, receptivitati ventriculi et intestinorum accuratius respondentem, exhibuimus: Rec. Cort. per. ℥vj Ligni Quass. ℥ij Coqu. in Aqu. font. q. s. Col. ℥viii add. Tinct. arom. Londin. ℥ij S. ut praecedens. Die V. Jan. molestiae hesternae evanuerant, et insequentibus diebus cum augmento virium omnes corporis actiones ad normam magis magisque redibant ita, ut a die X. Jan. non nisi Tinctura rob. Whytt. utens aegrotata in integrum restituta die XXII. ejusdem e nosocomio dimitti posset.

Epicrisis: Si decursum hujus morbi repetes, duplicem distingues periodum. Primo nimirum febris adynamica cum symptomatibus *gastricis* in conspectum prodit, quae ad diem XIV. usque duravit, sed, crisi non perfecta, deinde in vere *nervosam* transit, quae per tres septimanas continuavit. Illum characterem ex flavedine oris, vomitu bilioso et diarrhoea, hunc partim ex symptomatibus systema nervosum graviter tangentibus, partim ex decursu irregulari et phaenomenorum repentina vicissitudine vel repugnantia cognoscere licuit. Quaerentibus causam, cur motibus criticis satis distinctis morbus sub finem alterius hebdomadis non solutus fuerit? aerumnae et moeror in suspicionem nobis veniunt, quibus conamina naturae irrita reddi et status nervosus praecipue evolvi videbantur. Ceterum diarrhoea in toto morbi decursu organismo praecipue infesta erat, quum repetitis vicibus eadem exorta omnia ad statum pejorem, suppressa autem ad meliorem tenderent.

2) *Febris remittens, quae in intermittentem abiens herpete fiebat, a Stud. Med. Hunno observata.*

Lena, femina XXVI. annorum, constitutionis robustae, hucusque sana, a I. die Mens. Aprilis anni c1810cccix. febre remittente e refrigerio laborans, IV. ejusdem in rivum inciderat, sed nihilominus, febre aucta, officii ancillae in culina humida adhuc functa erat. Die X. April. ad nosocomium deducta de appetitu deleto, diarrhoea, doloribusque praecipue in articulis manuum querebatur; pulsus erant frequentes et parvi, oculi languentes, extremitates oedematosae, artus tremebant et in manibus conspiciebantur pustulae scabiosae. Post balneum tepidum praescripsimus tunc: Rec. Rad. Valer. silv. Rad. Calami arom. \bar{a} $\mathfrak{z}\beta$ M. Inf. Aqu. font. ebull. q. s. Colat. $\mathfrak{z}\text{v}\text{ij}\text{j}$ adde Liq. ammon. acet. $\mathfrak{z}\beta$ D. S. *Sumatur omni bihor. cochlear majus*; et quum exacerbationis tempore ad vesperam tussis molesta cum dolore in scrobiculo cordis superveniret, sinapismum loco nominato applicuimus. Nocte sub deliriis et doloribus membrorum transacta, sequenti die valde sudabat et doloribus capitis vehementioribus vexabatur, tussi, gastrodynia et diarrhoea mitigatis. Propterea medicamento reiterato Extracti Aconiti drachnam dimidiam adjecimus. Die XII. April. nocte quietius transacta, horrore cum subsequente aestu atque sudore corripiebatur, quo facto symptomata febrilia cessabant. Praescripsimus nunc: Rec. Hb. Absinth. $\mathfrak{z}\text{j}$ Coqu. in Aqu. font. q. s. sub finem Coct. add. Rad. Calami arom. $\mathfrak{z}\beta$ Colaturae $\mathfrak{z}\text{v}\text{ij}\text{j}$ admisc. Liq. ammon. acet. $\mathfrak{z}\beta$ D. S. *Omni bihorio propinetur cochlear majus.* Alter die, pulsu vix frequenti, nausea, amaritie oris et doloribus dorsi cruciabatur, sequenti die vero nullo somno resecta mane denuo paroxysmo cum doloribus capitis, auris dextrae et dorsi incrementibus corripiebatur. Quum sapor oris amarus eodem tempore auctus esset, accessu finito radicis Ipecacuanhae granis XV. vomitum excitare non dubitavimus. Die XV. ejusd. nocte inelius transacta, nausea quidem cum doloribus cessaverat, sed levior paroxysmus febrilis cum molestia in hypochondrio sinistro redibat. Tum medicamenti sequentis: Rec. Extr. Absinth. $\mathfrak{z}\beta$ Extr. Aconiti $\mathfrak{z}\beta$ Aqu. font. $\mathfrak{z}\text{v}\text{ij}\text{j}$ OL. Carvi gutt. ij M. omni bilorio cochlear cibarium propinavimus et versus noctem, ut instans paroxysmus sequentis diei mitigaretur, abdomini sinapismum applicui-

mus. Quo facto die XVI. Apr. post noctem inquietam non nisi de dolore capitis leviori querebatur, pulsu ceterum parum frequenti et cute molliter perspirante. Brevi post, appetitu aucto, exanthema pustulosum a manibus per brachia ad pectus usque propagatum conspiciebatur, ideoque praeter mixturam simul Sulphuris sublimati grana V. cum saccharo quater per diem exhibere jussimus. Vesperi cum sputis paululum sanguinis rejiciebat, nocte male dormiebat et mane altera die, denuo accessu febrili leviori superato, gravitate capitis vexabatur. Quum catamenia instarent pediluvium tepidum adhibere et usum Extracti Aconiti omittere decrevimus, reliquis medicamentis continuatis. Die XVIII. ejusd. nocte satis bene transacta, paroxysmo libera non nisi consueta sensit molimina menstruationis. Praescriptimus vero ad extinguendam omni ex parte febrem intermittentem Decoctum Corticis Hippocastani, adjecta sub finem radice Calami aromatici. Die XIX. Aprilis cum appetitu et virium sensu auctis apparebant menstrua, quae cum levamine altera die continuabant. Quum autem XX. ejusd. catamenii finitis, paroxysmus febrilis levior rediret, infuso-decocto memorato denuo Extractum Absinthii adjecimus. Ex illo tempore sub motibus febrilibus minus regularibus exanthema incresebat et in brachiis formam *impetiginis sparsae Will.* ostendere incipiebat hinc illinc cutem asperam reddens et crustas majores producens. Die XXIV. April. sub motu febrili aucto simile exanthema in cruribus propullulabat, quod sequentibus diebus escharas majores ex pustulis ruptis exortas formabat. Exhibito die XXV. ejusd. propter symptomata gastrica emetico e Tartaro stibiato, altera die Decoctum Cort. Hippoc. cum Extracto Absinthii continuavimus, additis ter per diem Aethiopsis mineralis granis quatuor cum Elaeosaccharo Carvi, et, pruritus causa, exanthemati oleum olivarum applicari praecepimus. Digestione jam in integrum restituta, sed motibus febrilibus nondum omni ex parte superatis die XXVIII. April. quater per diem Corticis peruviani drachmam dimidiam et scrupulum Cort. Cinnamoni alternis vicibus cum pulveribus memoratis exhibere curavimus. Die I. Mens. Martii, pruritu cessante, crustae in extremitatibus exsiccari incipiebant; nihilominus in usu medicamentorum perseveravimus. Die V. Mart. de doloribus aurium vehementissimis querebatur, qui sinapismo ad nucham appli-

cato mitigabantur; sed VI. ejusd. denuo febre cum subsequente sudore corripiebatur. Proximis diebus satis bene sese habebat, sed IX. Martii sub cardialgia et colica lumbricos duos exercebat. Quare, omisso Cortice peruviano alvus Radicis Jalappae scrupuli unius et Hydrargyri muriat. nitris granorum quinque ope sexies purgata est, vermibus tamen non amplius excretis. Sequenti die dolores colici quidem cessaverant, sed prodromi salivationis in conspectum veniebant. Omisimus igitur usum Aethiopsis antimoniatis, sed Corticis peruviani, adjecto sulphure, continuavimus. Exanthema maxima jam ex parte evanuerat et febris non redierat. Interim, quod ex illo in tarso adhuc relictum erat, pertinaciter curae resistere videbatur. Propterea, Essentia Absinthii simplici cum Decocto Radicis Cavicis arenariae et Bardanae nec non balneis per longius tempus incassum adhibitis, a medio Mense Majo ad usum Graphitis accessimus, cujus grana X. cum Radicis Calami aromatici granis XXX. mane et vesperi aegrotam sumere, externas autem lotiones e Kali sulphurati drachmis duabus in sex uncis aquae solutis instituere curavimus. Nihilominus exanthema cum pruritu sub finem mensis denno augebatur ita, ut maximam crurum partem tegeret, reliquo organismo bene valente. Sub usu graphitis et balneorum continuato nunc decoctum ex Radice Caricis arenariae, Rasura ligni Guajaci et Stipitibus Dulcamarae praescripsimus, cruribus ipsis vero vapores sulphuricos admittere jussimus. Sic sensim sensimque malum rebelle vincebatur et aegrotam tandem Julio omni ex parte in integrum restituta e nosocomio dimittebatur.

Epicrisis: In memoriam revocantes momenta hujus morbi causalia, ut refrigerium repetitum, immersionem repentinam, et mali neglectum primo in stadio, mirum sane videri potest, febrem ad majorem gradum auctam non fuisse, quemadmodum praecedente in casu. Tribuendum hoc certo fuit robustae constitutioni cum minori sensibilitate quartae, qua organismus functiones perturbatas reactione vasorum capillarum, mutatis secretionibus, superare tentabat. Sic ex parte morbi vi ad organa digestionis delata primo cum symptomatibus gastricis typum intermittentem febris nacta est. Cum *cel. Kreyzigio* enim intermittens febris fontem non in cordis et arteriarum sed in systematis gangliorum affectione quaerendam esse credimus. Dyscra-

sia humorum vero, ex longiori tempore perspirationis impeditae ope, majori provocata, motibus illis proportio partium constituentium justa restitui non potuit, ideoque per organon praecipue affectum, cutem scilicet, provocato secretionis processu innormali ad finem natura pervenire studebat. Manibus contagio scabioso jam infectis, secretio hic quoque primo sedem figebat, donec ulterius proreperet et extremitates integras occuparet. Irritatio inde excitata febrem consensualem minorem irregularem postea nutrire videbatur, quae, simulac exanthema in minori pedum loco limitatum erat, cessabat. Reactione universali autem sublata, vegetationis actus innormalis decursum chronicum ostendere, et, ut fieri solet, pertinacius resistere incipiebat, donec, crasi legitima internis et externis remediis restituta, sensim sensimque evanesceret.

3) *Febris remittens cum affectione pectoris observata a defuncto Doct. Med. de Koerber.*

Catharina, ancilla gentis Esthonicae vicesimum sextum aetatis annum agens, die XVIII. mensis Septembris anni 1809. nosocomio recepta de morbi sui ortu haec fere retulit. Ante undecim dies sub tempestate humida e foro rediens nausea, dolore capitis atque horrore correpta fuerat, quibus sequente nocte vomitus, sitis, dolor pectoris atque abdominis supervenerant. Altera die, continuante febre, catamenia apparuerant et more solito per tres dies continuaverant. Ex illo tempore ad cellam balneis destinata ablegata nunc calorem, nunc frigus nimium sustinuerat, donec medicus die ultima remedium diaphoreticum ipsi praescriberet, cujus dosis quaelibet vomitum excitaverat. Quum brevi doloribus pectoris adhuc anxietas et constrictio faucium accessisset, nostrum auxilium efflagitare non dubitaverat. Examine a nobis instituto, praeter symptomata supra memorata faciem ejus sudore quidem madentem, sed frigidam et genas purpureas, oculos languentes, linguam mucro viscido et labia crustis siccis tecta, gingivas lividas atque tumentes, internam labii inferioris superficiem excoriatam, cutem vero trunci et extremitatum siccam et frigidiusculam invenimus. Pulsus contracti 110 quavis sexagesima numerabantur, respiratio vero difficilis et brevis aegrotam in lateribus cubare impediabat. Ceterum sui conscia de lassitudine

universali, doloribus occipitis, cervicis, pectoris atque abdominis querebatur, quamquam hoc non tumebat et attactum facile ferebat. Appetitus deletus et sitis aucta erat, alvi excretio autem normalis. Impedita respiratio et frigus faciei primo praecipue statum pectoris, tum praeteritum cum praesentem, explorare nos commoverunt; quo in examine aegrotam doloribus aliisque molestiis pectoris praecipue tempore vernali laborasse comperimus. Tum livor et excoariatio labii inferioris effectum mercurialium imitans suspicionem usus ejusmodi remediorum nobis excitabat; sed constanter negabat, se ullo alio remedio, quam diaphoretico illo, usam esse. Propterea, de nexu quorundam symptomatum judicio adhuc suspensio, morbum praesentem synocham in typhum transeuntem offerre statuimus, ideoque medicamentum internum hoc: Rec. Flor. Arnicae ʒij Inf. Aqu. font. ebull. q. s. Colat. ʒvjjj add. Elix. acidi Hall. ʒij Sacch. albi ʒj M. S. Sumatur omni bihorio cochlear cibarium, praescipsimus, simul vero lotiones corporis e Spiritu vini camphorato et vesicatoria ad thoracem et suras applicare praecipimus. Brevi cum frigore cutis et livore genarum imminutis perspiratio levamen ferens, nocte proxima autem somnus interruptus sequebatur. Altera die pulsus minus contracti 96, inspirationes autem 44 per sexagesimam numerabantur, cutis vero normali temperatura gaudens perspirabat. Interim meridiano tempore facies, licet sudore madida, denuo frigebat, et in reliquo corpore exhalatio cessabat. Spastica haec affectio ex impedimento respirationis prodire videbatur, erecto enim corpore cum dyspnoea et anxietate aucta increcebat, et dolor sursum adscendens constrictionem gulae cum difficili deglutitione producebat, quamquam in faucibus nihil mutatum reperiebatur. Mutavimus propterea formulam medicamenti hac ratione: Rec. Flor. Arn. Rad. Serpent. virg. ʒā ʒijj Rad. Valer. silv. ʒβ Inf. Aqu. ebull. q. s. Colat. ʒvjjj add. Aether. sulph. ʒβ Syr. simpl. ʒj M. S. Propinetur omni bihor. cochlear unum, simul vero balneum tepidum aromaticum praeparare, potui paululum vini adjicere et lotiones corporis camphoratas continuare jussimus. Post balneum perspiratio cutis restituebatur et nocte proxima somnus erat tranquillior. Die XX. mens. Sept. habitus aegrotae paullo melior, respiratio et deglutitio aliquanto liberior cum pulsu 92 vicibus micante, et urina calore austeriore

tincta, in media parte nubeculam formans, reperiebatur. Continuavimus ergo remedium usum. Die XXI. Sept. symptomatibus magis adhuc mitigatis, aegrotata tussiens frustum pituitae tenacissimae ex parte exsiccatae rejectit. Ut sputa ulterius promoveremus, sequentem formulam scripsimus: Rec. Rad. Serp. virg. Rad. Valer. $\bar{\text{v}}$ $\text{℥}\beta$ Inf. Aqu. ferv. q. s. Col. $\text{℥}\text{v}\text{ij}$ add. Sal. ammon. $\text{℥}\text{ij}$ Succ. Liquirit. $\text{℥}\beta$ M. S. Sumatur omni bihor. cochlear majus. Interim tussis et excretio sputorum non rediit, et respiratio, licet minus impedita, erecto corpore semper adhuc difficilior apparebat, quamquam dolor sub sterno perstans non amplius ad gulam adscendeat neque deglutitionem impediabat. Ceterum febris ex illo tempore cum exacerbationibus vespertinis levioribus continuabat et facies nunc magis nunc minus frigebat. Die XXV. status aegrotatae longe melior fuit. Habitus, temperatura faciei et pulsus fere normales erant et respiratio non nisi sub erectione corporis impediabatur, appetitus vero nondum increverat et urina minori in quantitate secerni videbatur. Quare medicamentum hac ratione mutare decrevimus: Rec. Rad. Valer. $\text{℥}\text{i}$ Inf. Aqu. ferv. q. s. Col. $\text{℥}\text{v}\text{ij}$ adde Extr. Trifol. fibr. $\text{℥}\beta$ Ammon. mur. $\text{℥}\text{ij}$ M. S. Propinetur omni bihor. cochlear unum cum Aceti scillitici natro saturati guttis XV. Quum vero ultimum remedium perpetuam nauseam molestam excitaret, ab usu ejus abstinuimus et die XXIX. Sept. quo, molestia pectoris sub erectione corporis adhuc continuante, oedema pedum in conspectum prodire coepit, ad promovendam digestionem et urinae secretionem praescripsimus: Rec. Extr. Trifol. $\text{℥}\beta$ Aqu. font. $\text{℥}\text{v}\text{ij}$ Spir. nitri dulc. $\text{℥}\text{ij}$ Ol. Ment. pip. gutt. vij M. S. Sumatur omni bihor. cochlear unum, simul vero quater per diem cerevisiae radicibus armoraciae superfusae poculum minus propinare imperavimus. Sub usu horum remedium secretio urinae satis augeri, molestia respirationis autem cum oedemate pedum sensim sensimque imminui coepit, donec die VIII. mensis Octobr. cum redeuntibus catamenis appetitus quoque et vires magis increverent et convalescentia celeriori passu procederet ita, ut die XVII. ejusdem aegrotata omni ex parte restituta dimitti posset.

Epicrisis: Natura descripti morbi ex parte obscura fuit; quaeritur enim, quale vitium in thorace latuerit? Dolor pectoris, anxietas, asthma, con-

strictio faucium et frigus genarum augebantur, quando aegrotata erecto sedebat corpore. Reiecta pituita spasmi gulae cessare videbantur, sed reliqua symptomata adhuc continuabant. Finita febre status hydropicus sese ostendebat, sed, urinae fluxu promoti et catameniis praecipue redeuntibus, molestiae omnino evanescebant. Num serum in mediastino anteriori post praegressam inflammationem effusum, quod erecto corpore in diaphragma pre-mendo vim exerebat majorem, impedimentum respirationis adduxerat? Num pituita tenax sub larynge haerens spasmorum vim magis ad gulam direxerat? Res ita sese habuisse videtur, quamquam eandem plane decidere non ausim; quum affectiones pectoris, quod videtur, periodicae praecesserint, quas stupida aegrotata accuratius describere non potuit.

4) *Febris remittens a Stud. Med. (nunc Medic. Doct.) Alimann observata.*

Maria, caelebs trigesimum aetatis annum agens, temperamenti sanguinei et constitutionis bonae, sed lasciviae dedita, ante duas septimanas post verbera perpessa febre remittente, dolore pectoris, dyspnoea et tussi correpta fuerat. Quam die XXIX. mens. Novembr. anni c180cccix. in nosocomium reciperetur, praeter symptomata jam nominata cutem et linguam siccas, oculos rubicundos, pulsum plenum et fortem, in sexagesima horae parte centies micantem, spula parca, appetitum imminutum, et sitim auctam observavimus. In glutaeis et regione ossis sacri, praecipue ad dextram, tres plagae magnitudinis aliquot pollicum quadratorum, crustis nigris sphacelosis tectae, et, quod aegrotata quidem dissimulabat, verberibus debitae reperiebantur. Ceterum de doloribus artuum et lassitudine universali querebatur, quamquam debilitas non tanto in gradu, quanto in febribus acutis post duas hebdomades fieri solet, adaucta esse videbatur. Quare morbum synocham ad finem suum vergeantem esse judicavimus et primo non nisi sinapismum ad pectus applicari et potum tepidum propinari jussimus. Sequenti die post sudorem nocturnum siccitas oris et sitis imminutae, pulsus autem rariores inveniebantur. Quum vero febris nondum omni ex parte cessasset et dolores pectoris adhuc continuarent, omni bitorio Calomelas granum unum cum Decocto Althaeae Semine Foeniculi condito exhiberi, pro potu autem Infusum Florum Tiliae

praebere imperavimus. Die I. Decembr. alvo ter laxata, vomitus biliosus oriebatur. Altera die pulsus in brachio dextro frigidiusculo tactu reperiri non potuit, in sinistro vero normali vigore micans et vix amplius acceleratus observabatur; ceterum aegrota dolore pectoris minus vexata se melius sese habere contendebat. Quum vero alvus denuo laxata et ad vesperam febris exacerbata esset, versus noctem quatuor guttas Laudani liquidi exhibuimus. Die III. Dec. pulsus erant tales, quales die praeterito, urina vero viridescens copiosum sedimentum leve cinereum, grumis terreis intermixtum, deponebat. Omisso nunc hydrargyri muriatici mitis usu praescripsimus; Rec. Rad. Althaeae $\mathfrak{z}\mathfrak{z}$ Coqu. Aqu. font. q. s. Sub finem coct. add. Sem. Foeniculi $\mathfrak{z}\mathfrak{z}$ Colat. $\mathfrak{z}\mathfrak{v}\mathfrak{j}\mathfrak{j}$ admisc. Vini Antimon. Huxh. $\mathfrak{z}\mathfrak{z}$ D. S. Omni bihor. sumatur cochl. unum; crustis vero sphaecelosis cataplasmata emollientia applicuimus. Nihilominus febris vespertino tempore denuo exacerbata erat, et altera die pulsus in sinistro quoque brachio evanuerat. Accuratiori circulationis examine instituto, pulsatio in arteriis brachialibus quoque observari non potuit, in subclaviis vero non nisi debilis, cordis contra motus et temporalium pariter atque cruralium pulsus normales esse videbantur. Brachia et manus paullulum frigeabant et in extremitate dextra superiori aegrota spasticam tensionem percipiebat, facies magis pallescebat, sed periodice fugaci rubore obducebatur cutisque reliqui corporis interdum madescebat, oculi minus splendebant et auditus difficilior erat. Dolores pectoris contra omni ex parte evanuerant, lingua erat humida, et urina coloris ordinarii non nisi nubeculam densiorem deponebat, appetitus non omni ex parte deerat et de statu mentis non dejecta aegrota mediocri quoque gaudebat somno. Ad provocandam reactionem arteriarum fortiorem et mitigandam affectionem spasticam sequentes scripsimus formulas: Rec. Rad. Serpent. virg. $\mathfrak{z}\mathfrak{z}$ Inf. Aqu. ebull. q. s. Col. $\mathfrak{z}\mathfrak{v}\mathfrak{j}\mathfrak{j}$ add. TR Castor. $\mathfrak{z}\mathfrak{j}\mathfrak{j}$ M. S. Propinetur omni bihorio cochlear majus, et: Rec. Camphorae gr. j Sacch. albi gr. x M. F. P. D. tal. dos. no. xij S. Exhibeatur alternis vicibus cum mixtura dosis una. Ceterum Spiritus vini camphorati $\mathfrak{z}\mathfrak{j}\mathfrak{v}\mathfrak{z}$ et TR Cautar. $\mathfrak{z}\mathfrak{j}\mathfrak{z}$ extremitates lavari curavimus. Vesperi febris rursus paullulum exacerbata erat. Die V. Dec. pulsus talis, qualis praeterita die reperiebatur, in brachio dextro dolor adhuc tensivus,

periodice auctus, ab aegrotâ percipiebatur, in manu vero tactus ei obtusus esse videbatur, temperatura faciei variabat, et, fronte e. c. calente, genae frangebant. Ceterum habitus cutis erat normalis et crustae sphacelosae bona suppuratione separari incipiebant. Febris ad vesperam denuo paullo fortior erat, quam tempore matutino. Sequentibus diebus symptomata haec eodem tenore continuabant, et rarius tantum in brachiis vestigium quoddam pulsationis inveniebatur. Cutis in iisdem simul longe minorem irritabilitatem ostendebat, lotiones enim spirituosae, quae in pedibus bullas serosas provocaverant, in istis effectum non ediderant, dolores vero in extremitate dextra superiori increverant. In usu remediorum continuavimus, adjectis modo die VI. Dec. ad pulveres memoratos Salis C. C. gr. ij et die VIII. ejusd. camphorae dosi duplicata. Eadem die alvum obstructam clysmate solvimus. Die IX. Dec. appetitu et suppuratione in loco vulnerato incrementibus, remedium immutare decrevimus sequenti modo: Rec. Cort. peruv. ℥β Coqu. in Aqu. font. q. s. Sub finem Coct. add. Rad. Valer. offic. ℥β Col. ℥viii admisc. TR. Absinth. comp. ℥β S. Sumat aegrotâ alternis vicibus cum pulveribus prioribus omni bihor. cochlear unum, quo facto vires cum appetitu quotidie crescebant, motus febriles imminuebantur et crustae sphacelosae magis magisque separabantur. Sensim sensimque ex illo inde tempore doses remediorum volatiliū imminuere, corticis peruviani autem augere coepimus; quum vero pulsus in brachiis semper adhuc decesset et in dextro dolores continuarent, a die XIII. Dec. inde frictiones e Spiritus Sal. ammon. caust. et TR theb. partibus aequalibus in locis affectis instituere jussimus. Die XIV. viribus magis refocillatis, aegrotâ lectum relinquere coepit, non nisi de debilitate et affectione brachii conquesta. Ulceribus tandem sub usu Cerati saturn. sanatis die XXI. ejusdem ab omnibus molestiis liberata nosocomium reliquit, pulsu interim in brachiis non redeunte, saltem non nisi rarius vix palpabili modo micante.

Epicrisis: Aegrotâ haec in nosocomium recepta pulsum in utroque brachio magnum atque fortiorem ostenderat ita, ut febrî characterem synochicum tribuere non dubitarem. Quâ quidem in re nos falsos non fuisse, testimonio plurium auditorum eandem observantium confirmabatur. Quale

ergo circulationis impedimentum eundem primo in brachio dextro, et post duos dies in altero quoque suppressit? Neque externum neque internum mechanicum reperiiri potuit. Num affectio spastica fuit? Reliqua symptomata, in brachio dextro praecipue, huic suspicioni quidem favebant, sed, aegrota ceterum omni ex parte restituta, disharmonia illa circulationis continuabat. Num ergo haec forte habitualis et febre fortiori modo sublata fuerat? Sententiam pronunciare non ausim, quam, quod doleo, aegrota oculis nostris reddita non fuerit.

5) *Hemiparesis a Stud. Med. Knorre observatus.*

Christianus, puer quatuordecim annorum, temperamenti phlegmatici, post lassitudinem aliquot dierum die IX. mens. Martii anni 1806, absque momento causali externo evidente frigore cum subsequente aestu atque sudore correptus fuerat; die XI. ejusd. similis paroxysmus redierat, qui altera die symptomata febrilia mitiora reliquens die XIII. Mart. majori vi reiteratus fuerat. Ad nosocomium nunc deductus, finito accessu, nihilominus de maxima querebatur lassitudine, capitis, abdominis et artuum dolore atque vertigine; habitus stuporem prae se ferebat, et in facie pallida sub oculis et circa nares et labia livor quidam conspiciebatur; pulsui debili atque frequentissimo respiratio satis lenta temperaturaque vix aucta non respondebant; lingua levi muco albicante tecta, subsicca, appetitus deletus, sitis vero maxime aucta, perspiratio mediocris, urinae secretio fere normalis, dejectiones alvi autem fluidae et frequentes erant. Constitutionem epidemicam, quae febribus nervosis favebat, et morbi symptomata ante oculos habentes praescripsimus primo: Rec. Rad. Galami arom. Rad. Arnicae ꝯꝯ ʒj Inf. Aqu. ebull. q. s. Colat. ꝯvj add. Spir. nitri dulc. ʒj S. Sumatur omni bibor. cochlear cibarium, simulque non nisi victus tenuioris usum permisimus. Insequenti nocte non dormiverat et quater, dolore colico aucto, alvum dejecerat. Propterea die XIV. Mart. qua habitus et cetera symptomata debilitatem incrementem prodere videbantur, pulveres e radicis Ipecac. grani quadrante, Flav. Cort. aur. gr. v et Elacosach. Foeniculi gr. x alternis vicibus omni bithorio cum medicamento priori exhibuimus, capiti vero propter dolorem graviolem fomentationes ex aceto applicuimus. Die XV. Mart. aegrotus somno

refectus levamen sentiebat, habitus erat melior, diarrhoea et frequentia pulsuum imminutae, quare usum remediorum continuavimus. Sequenti die pulsus vix amplius frequens, cetera autem symptomata magis adhuc imminuta reperiiebantur, paroxysmus febris intermittens non redibat. Adjecimus nunc mixturae repetitae extracti Trifolii fibrini adhuc unciam dimidiam. Ex illo inde tempore salus aegroto reddi videbatur, symptomata enim febrilia cum doloribus capitis atque abdominis evanuerant, somnus et appetitus redierant, et non nisi diarrhoea eum adhuc vexabat. Quae quum vires denuo infringere videretur, die XXII. Mart. balneum tepidum adhibere et medicamenta hucusque in usum vocata cum sequenti commutare decrevimus: Rec. Rad. Calami arom. ℥ijj Inf. Aqu. ferv. q. s. Colat. ℥vj add. Extr. Trifol. fibr. ℥ijj TR theb. gutt. xvijj M. S. Omni bihorio propinetur cochlear unum. Nihilominus die sequenti, diarrhoea continuante, pejus sese habebat. Pulsus erat irregularis et frequens, facies pallidior et lingua mucosae tecta. Causa morbi recidivi, nisi forte refrigerium leve post balneum in suspicionem vocare velis, detegi non poterat. Praescripsimus propterea ad promovendam perspirationem: Rec. Rad. Angel. silv. ℥β Inf. Aqu. font. ebull. q. s. Colaturae ℥vj add. Ligu. ammon. anis. ℥ij S. Omni bihorio sumatur cochlear unum, et: Rec. Flor. Tiliae ℥ijj Sem. Foenic. ℥β M. F. Spec. S. pro potu. Die XXIV. ejusd. quum post modicum sudorem nocturnum lingua magis tecta, appetitus deletus, pulsus frequentior et irregularior, facies autem lurida esset et dolor capitis recrudesceret, radicis Ipecac. scrupulum praebuimus, qui aliquoties vomitum ciebat. Nihil tamen secius die XXV. pejus aeger sese habebat, accesserat enim symptomatibus hesternis cutis et linguae siccitas, et diarrhoea cum debilitate increverat. Quare, ne vires plane collaberentur, haec medicamenta praescripsimus: Rec. Rad. Calami arom. ℥β Inf. Aqu. ferv. q. s. Colat. ℥vj add. Spir. nitri dulc. ℥ij Laud. liq. Syd. gutt. xij M. S. Omni bihorio sumatur cochlear unum, et: Rec. Elix. acidi Hall. ℥j Syr. Cerasor. ℥j M. S. potui addendum, capiti autem obnubilato fomentationes ex aceto denuo applicuimus. Die XXVI. Mart. post somnum paullo quietiorem et parcam epistaxia matutina, qua non nisi uncia dimidia sanguinis evacuata fuerat, levamen aeger sentiebat. Dolores capitis imminuti, pulsus vix frequentes magis regulares.

et cutis pariter atque lingua humidæ erant; alvum quidem bis tantum dejecerat, sed debilitas tanta adhuc restabat, ut sine vertigine corpus erigere non posset. Hinc usum remediorum continuavimus. Ultimis mensis Martii diebus symptomata febrilia magis magisque disperebant, sed lassitudo cum anorexia et excretionem alvi fluida, licet rariori, adhuc perstabant. Praescriptus propterea die I. April: Rec. Rad. Serpentar. virg. Rad. Arnicae ā ʒijj Inf. Aqu. ebull. q. s. Col. ʒvj add. Spir. nitri dulc ʒjʒ S. Omni bibor. cochlear praebeat ut unum. Tandem sub usu remediorum aromatico-amarorum et tonicorum, ut Calami, TR amaræ et TR roborantis Whyttii aegrotus omni ex parte convaluit ita, ut die XIII. April. sanus dimitti posset.

Epicrisis: Septima morbi die symptomata febrilia absque crisi cessaverant, diarrhoea vero continuaverat. Die decima quarta febris recrudescerebat, et post septimanam demum lysi evanescebat ita, ut morbus spatio trium hebdomadarum finitus formam hæmitritæci, diarrhoeæ simplicioris et febris continuæ remittentis indueret. Momenta causalia decursus insoliti partim in debili aegroti validudine prægressa, partim in epidemica atmosphaeræ constitutione mihi quaerenda esse videntur. Haec enim febribus nervosis et intermittentibus propitia erat. Aegrotus igitur, quum vires absolvendæ crisi non sufficerent, dyspepsia et diarrhoea perstantibus exhaustus, vi atmosphaeræ denno in febrem incidisse videtur.

6) *Febris acuta nervosa a Stud. Med. Henning observata.*

K. — Studiosus Theologiae, phantasia excellens, temperamenti irritabilioris, vicesimum quartum ætatis annum agens, post animi pathemata deprimentia, itinere quodam finito, ex aliquo tempore lassitudine et motibus febrilibus minoribus vexatus fuerat, donec die IV. Maji anni 1810cccx. horrore fortiori cum sensu defatigationis corripereetur. Ut se reficeret, eadem die sub vespera in aëre libero obambulare adhuc ausus fuerat, sed, lassus prostrato corpore in herba quiescere coactus, refrigerium perpressus erat, quo facto febris citius increverat. Sumto, præterlapsis aliquot diebus, emetico vehementiori, sexies vomuerat, sed nihilominus febris hucusque atypica aucta fuerat. Incassum Cortice peruviano et Radice Columbo in decocto adhibitis, post potum frigidum nimium die XIV. Maji cholera fortiori correptus fuerat. Pro-

pinata emulsione cum Opio diarrhoea quidem cum vomitu coercita, sed non omni ex parte superata fuerat ita, ut maxime debilitatus die XVI. ad nosocomium nostrum deduci cuperet. Accessit cum habitu tristi, facie collapsa, genis rubris et frigidis, pulsu minimo atque frequenti, respiratione accelerata quidem sed libera, cute autem et lingua sicca. In regione ventriculi oppressionem sensit, sed attactus ipsi non molestus fuit, vomitus quoque cessaverat et alvus rarius soluta fuerat. Ceterum sui quidem conscius phantasmatibus tamen perpetuis vexabatur et somno carens, non raro oculis ad superiora conversis, non plane clausis, jacebat. In tali statu sequentem formulam concinnavimus: Rec. Rad. Serpent. virg. Rad. Arnicae $\bar{\text{r}}$ ʒij Inf. Aqu. ebull. q. s. Col. ʒvi add. Gum. arab. ʒijj Spir. C. C. succin. ʒjβ TR Opii croc. gutt. xij M. S. Somat omni hora cochlear cibarium dimidium. Abdomini cataplasmata aromatica tepida, pedibus sinapismos, ceteris partibus vero frictiones e TR Cauthar. et Spir. vini camphor. applicuimus et pro potu Infusum Hb Menthae pip. et Rad. Alth. exhibuimus. Sequenti die, quum deliria mitiora et convulsiones membrorum leviores accederent, Moschi gr. j et Camphorae gr. β omni bihorio adjecimus. Die XVIII. Maji, diarrhoea fere cessante, pulsus paullo fortior, simul vero et delirium auctum observabatur. In auxilium vocato tibiae et citharae sono tranquillior redditus maxime se delectatum fuisse asserebat. Die XIX. post noctem inquietam cum deliriis cutis humidior et appetitus paullulum resuscitatus erat. Medicamentis igitur hucusque adhibitis leviora nutrimenta cum vino adjecimus. Altera die, nocte paullo tranquillius transacta et diarrhoea jam superata, mixturae radice Arnicae loco Radicis Valerianae ʒβ praetereaque Aetheris sulphurici ʒβ addidimus. Potum e decocto panis cum vino rubro praeparatum, ceteris ipse praeferebat. Die XXI. Maji propter debilitatem increscentem sinapismos denuo applicuimus, Moschi dosin ad duo grana auximus et vini Rhenani, quod appetebat, usum, omisso Opio, interposuimus. Sequenti die post deliria nocturna fortiora omnia ad peiora tendebant, quamvis musica nec non grato odore adhuc delectaretur aegrotus: Collapsus interim cum pulsu minimo frigoreque faciei insigui et petechiae hinc illinc in conspectum venientes incitamenta augere suadebant. Addidimus propterea mixturae denuo Flor. Arnicae et Aetheris

maijorem quantitatem, Camphorae vero, et ad vesperam ob alienationem mentis graviolem Moschi quoque, dosim adauximus, instituta vero posthac consultatione medica Decoctum Cort. peruv. cum Aethere et TR Canthar. priori mixturae substituimus. Die XXIII. Maji deliria mussitantia cum tanta apathia incedebant, ut urinae excretio inscio aegroto subsequeretur; lingua simul erat siccior, cutis frigidior et respiratio irregularis. Tum cervici et auris vesicantia imposuimus et medicamentis prioribus adhuc Aetheris phosphorati gutt. xx interponere tentavimus; quum vero omnia respueret, rarius tantum remedia ingerere licuit. Die XXIV. hesternis symptomatibus anxietas atque inquietudo maxima cum tremore artuum et dentium stridore adhuc supervenerat, quo facto sudor universalis sed frigidus prorumpebat, et pulsum frequentia a centum triginta ad nonaginta ictus imminuebatur. Noctem satis tranquille et parum delirans transigebat et die XXV. Maji sui omni fere ex parte conscius et bona spe plenus habitum longe meliorem prae se ferebat, et cum appetitu gelatinam assumebat, quamquam calor naturalis nondum redierat. Exhibuimus nunc Moschi tantum gr. jii cum jusculo carnis et vino, quod appetebat, cuti vero fomentationes aromatico-vinosas applicuimus et simili balneo aegrotum immisimus, quo bene se refectum esse contendebat. Nihilominus vesperi inquietudo et anxietas redibant, pulsus minimus denuo maxime accelerabatur, post mediam noctem vero exstinguebatur.

Sectione instituta colon partibus vicinis hinc illinc membranis spuris accretum intestinum jejunum in longitudine duorum pedum lividum quidem, sed structura non laesum, vasa venosa mesenterii vero sanguine atro turgida reperimus. Superficies interna ventriculi diversis in locis rete vasorum capillarum in forma dendritica evolutum rubrum, jejuni vero in parte livida mucum cinereum ostendebat. Vesica urinaria, quamquam aegrotus ultima die non minxerat, vacua erat. Pulmonis dextri lobus inferior thoraci accretus spumam luteam copiosam ex incisionibus effundebat. Cor in parte anteriori cum pericardio in ambitu dimidii pollicis quadrati concretum et ventriculus ejus dexter tenerior sanguine atro repletus erat. In cerebri satis firmi et ceterum bene constituti cornu anteriori ventriculi lateralis dextri

tubercula duo pisiformia duriora, colorē non distincti, observabantur, quae in aqua macerata sabulum deponcbant. E cavo columnae vertebralis tandem, remoto cerebro, duae fere unciae seri effundebantur.

Epicrisis: Ex historia morbi apparet, naturam vicesima die crisin provocare tentasse, sed absolvere non potuisse, quia vires nimis exhaustae erant. Accidere hoc semper fere solet, ubi primum stadium cum evacuationibus nimis et frigore faciei incedit. Objicere quidem posses, inflammationem ventriculi et intestinorum symptomata adduxisse et perperam neglectam fuisse. Talem primo existisse non nego, sed absentia dolorum ventriculi et abdominis sub attactu illo tempore, quo nosocomium aeger intravit, et vomitus atque diarrhoea brevi cessantes, causam febris saltem subsequente tempore non amplius in statu inflammatorio quaerendam fuisse, probant. Maculae rubrae in membrana interna ventriculi et livor jejuni fortasse in locis antea inflammationis sedem fixerant, sed inflammationis ipsius formam prae se non ferebant. Accretiones coli autem, pulmonis et cordis, quantum e firmitate et indole judicari potuit, praegresso tempore debitae esse videbantur. Cerebrum ipsum inflammationis aut congestionis vestigium nullum ostendebat, et serum circa medullam spinalem exhalatum tali ortum debuisse, maxime dubium relinquitur. Febrem igitur e nervorum affectione primaria originem duxisse eo magis verosimile redditur, quo majori aegrotus sensibilitate semper praeditus fuerat, et quo magis pathemata animi deprimentia cum intentione virium mentis et corporis praecesserant. Forte tubercula quoque in cerebro inventa momenti causalibus internis sunt adnumeranda. Interim, ut videtur, aegrotus forte supervixisset, nisi evacuationibus nimis vegetatio sub initio nimis labefactata fuisset.

7) *Febris acuta nervosa a Stud. Med. Fleischer observata.*

Maria Kampmann, femina triginta octo annorum constitutionis debilissimae, et cachectica, rhachitidis vestigia in tibiis curvis et syphilitidis in cicatricibus pedum gerens, mense Majo anni 1810ccccxx. post sensum lassitudinis increpcentis repente paresi pedum et linguae correpta fuerat. Incasum adhibitis remediis quibusdam, malum postea maxime neglectum fuerat, et absque auxilio misera et egena, lecto carens, a marito relicta, in gravissimam

febrem inciderat. Die III. mens. Augusti ad clinicum deducta exhaustionis signa prae se ferebat maxima. Pulsus minimus erat acceleratus, temperatura, praecipue extremitatum, imminuta, sitis aucta, appetitus parvus, lingua sicca et totum corpus sub tactu maxime sensibile. Ceterum sui non plane conscia partim sopore oppressa partim delirans jacebat et cum difficultate verba proferebat, in brachiis, quae vix extollere valuit, conspiciebantur maculae rubrae, in regione coxarum autem ossis sacri et interna superficie genuum crustae magnae sphacelatae, aequae foedum odorem spargentes, ac nares et et os. Adhibito balneo tepido primo Infusum Radicis Calami aromatici et Florum Arnicae cum Spir. sulphurico-aethereo et Saccharo propinare decrevimus. Nocte sub deliriis transacta, die altera pulsus minus frequens et appetitus auctus observabatur. Interposuimus nunc Infuso hesterno omni bihorio adhuc Camphorae granum dimidium et adjecimus potui vinum. Die V. Aug. status soporosus cum deliriis increverat ita, ut, inscisa aegrotata, excrementa fluida secedere inciperent; quare versus noctem TR thebaicae guttas quatuor praebuimus. Sequenti die, quum facies magis collapsa esset et diarrhoea continuaret, Infusum octo unciarum e Radicis Arn. et Serpent. virg. \bar{z} \bar{z} ijj cum TR Opii simplic. gutt. xxxij praescripsimus, ut omni bihorio cochlear majus, interjecto Camphorae grano uno, assumeret. Pro potu jusculum carnis cum vitello ovorum, pulvere nucis moschatae conditum, et ad irrigandas crustas sphacelosas, hucusque Cerato simplici tractatas, Decoctum Cort. Salicis cum Liqumine Myrrhae praescripsimus. Die VII. Aug. pulsus acceleratus simul irregularis reperiebatur, praetereaque floccilegium et stridor dentium observabatur, appetentia ciborum et potuum autem evanuerat. Propterea Infusum octo unciarum ex Radicis Serp. virg. et Arnicae uncia dimidia, adjectis TR theb. gutt. xxxij, praeparare et alternis vicibus cum Camphora propinare, balneum tepidum et lotiones cum spiritu camphorato instituere jussimus. Post meridiem deliria sequebatur sopor perpetuus sequenti nocte continuans, nihilominus altera die sui magis conscia, pulsus regularis, temperatura corporis fere normalis et appetitus paullo resuscitatus, alvus autem adhuc fluida erat. Adjecimus nunc infuso priori Corticis peruviani adhuc unciam dimidiam et Liquoris ammon. succinici drach-

mas duas, TR Opii autem guttas quadraginta, Camphorae dosin ad duo grana augentes. Die IX. Aug. nocte satis quiete trasacta, pulsus minus acceleratus et paullo fortior inveniebatur. Continuavimus remediorum usum, mixturae adjectis tantum adhuc TR Cantharidum guttis quadraginta. Interim post meridiem deliria cum floccilegio redibant, pulsus magis accelerabatur et denuo irregularis reddebatur, os vero apertum et siccum foetorem spargebat majorem. Sequenti die eodem statu perstante Camphorae Moschum adjunximus, quo facto deliria cum floccilegio quidem cessabant, sed sopor ad vesperam major succedebat. Die XL Aug. quum noctem tranquille transegisset et alvum non deposuisset, sopor autem adhuc continuaret, Opii usum omisimus, sed cetera medicamina, Camphorae dosi aucta, propinare perreximus. Die XII. Aug. sui magis conscia paullulum cibi nec non potum appetebat, interim parotides intumescere incipiebant et die sequenti, post deliria nocturna cum siti, aegrotam morti succumbebat.

Sectione instituta in coxis sphacelum usque ad ligamenta capsularia capitulorum femoris penetrantem invenimus. In cavitate cranii et in ventriculis cerebri paullulum seri effusum, circa cor consueto paullo major quantitas adipis accumulata, saccus venosus sinister in interna superficie rubicundus et in utroque ventriculo sanguis coagulatus accumulatus erat. Ceterum organa in statu normali versari videbantur.

Epicrisis: Aegrotam nostram diem supremum obiisse nemo mirabitur. E longo enim tempore potentiis nocentibus in corpus et animam agentibus exposita, et ad nosocomium in tristissimo statu demum adducta fuerat ita, ut vitam per decem dies servari adhuc posse, vix crederemus. Arti igitur tribuendum esse videtur, vitam tandem productam fuisse, et miro modo vis organismi medicatrix, vel pessimis sub auspiciis, ad tramitem functiones die penultima metastasi ad parotides adhuc reducere tentabat, sed, quod viribus ab initio nimis exhaustis plerumque accidere solet, ad finem non perveniebat, ideoque intentione actionum ultima nimis laesa machina organica sequenti die jam destructa erat.

8) *Febris remittens e fulminis ictu a Studioso Med. W. F. Baumann observata.*

Madly, vidua sexaginta annorum robusta, habitu apoplectico praedita, quum die IX. Aug. anni 1810cccx. domus ejus tempore vespertino de coelo tangeretur et socia fulmine icta in terram prostrata exspiraret, ipsa astrapoplecta conciderat. Asphycticam in area depositam per duas horas imbri exposuerant, quo facto resuscitata balbutiens verba proferre et de doloribus artuum et pectoris queri inceperat. Medicus accersitus corpus rigidum inveniens Infusum Valerianae pro usu interno, Spir. sal. ammoniaci causticum vero pro usu externo praescripserat. Brevi post instituto clinico tradita, modica venaesectione in brachio instituta, balneo tepido inmissa est. Sequenti nocte sub insomnia superata, die altera vestigia fulminis externa et symptomata paralytica vera non conspeximus, interim levi sopore oppressa tarde verba proferebat et de obscuritate oculorum, susurru aurium pulsante, nec non doloribus totius corporis, praecipue scapularum pectorisque, et motu molesto querebatur. Pupilla aliquantum dilatata et auditus difficilis erant. Circulatio paullulum accelerata cum calore et rubore faciei, linguae media parte et cute sicca, atque siti incedebat, appetitus vero erat deletus. Venae-sectionem nunc in altero brachio repetere, capiti fomentationes frigidas, pectori autem vesicatorium imponere et versus noctem pediluvium tepidum cum sale communi praeparare jussimus, pro usu interno sequens remedium: Rec. Ammonii muriatici ℥jij Succo Liquirit. ℥jβ Aqu. Foenic. ℥vj M. S. Omni liborio propinetur cochlear cibarium et Tartarum depuratum potui adjiciendum, praescribentes. Die X. Aug. febris quidem cum siti, lingua sicca, agrypnia et doloribus scapularum brachiorumque adhuc continuabat, congestiones ad caput vero cum sensuum difficultate et pectoris dolore evanuerant. Perseveravimus in usu remediorum. Die sequenti, post sudorem nocturnum cum siti aucta, pulsus quoad vigorem et frequentiam maxime irregularis observabatur, simulque, aegrota absentibus congestionis ad caput signis, vertiginem sentiebat, si corpus erigere vellet. Propterea, ne vires nervorum infringerentur, infusum octo unciarum e Radicis Valerianae uncia dimidia, et Flor. Arn. drachmis duabus, cum Spiritus sulphurico-aetherei pari

quantitate praeparatum omni bihorio sumere, simulque brachia Liquore Ammonii caustico fricare praecepimus. Die XII. Aug. quo symptomata eadem fere perstabant, dolores in manuum carpi praecipue sedem fixerant, quare sinapismos iisdem applicari curavimus. Sequenti die, vertigine immixta, lectum relinquere et paululum obambulare incipiebat aegrotata, quamquam pulsus adhuc irregularis et lingua in media parte sicca erat. Ut digestio semper adhuc debilitata adjuvaretur, Infusum Radicis Calami cum Extr. Absinth. et Spiritu sulphurico-aether. praescripsimus et novum sinapismum inter scapulas applicavimus. Die XIV. Aug. dolores immixti erant, appetitus vero paulo melior. Continuavimus propterea remediorum usum usque ad XVII. ejusdem, quo symptomata febrilia cessare videbantur, et, quum somnus et appetitus redirent, caput autem liberum esset, non nisi TR Absinthii compositae quater per diem guttas sexaginta propinare decrevimus. Ex illo inde tempore aegrotata magis magisque convaluit ita, ut, functionibus in integrum restitutis, eandem die XXI. Aug. dimittere non dubitarem, quamquam pulsus irregularis maneret.

Epicrisis: Aegrotata nostra fulgore ipso quidem non tacta, sed concussionem modo prostrata esse videbatur, et febris cum doloribus subsequens forte refrigerio magis, quod, in area imbri per duas horas exposita, perpessa erat, originem debebat. Ceterum aetate protracta et habitu apoplectico praedita in magno certe periculo versabatur. Quod pulsum irregularem tertia die, systemate sensibili minus affecto, in conspectum venientem et post restitutionem perstantem attinet, hic aegrotatae ante morbum forte habitualis, sed ab initio morbi, concitatione cordis majori obstacula circulationis vincente, per tempus quoddam regularis redditus fuerat, quod in febribus non raro accidere solet. Interim certum hac de re iudicium ferri nequit, quum ante morbum aegrotatam nunquam viderimus.

9) *Febris continua putrida a Stud. Med. Fleischer observata.*

Drewing, Gymnasii discipulus temperamentum phlegmaticum, vicesimum annum agens, qui nona aetatis anno typhum cum petechiis et haemorrhagiis superaverat, et tribus fere annis post ex equo lapsus concussionem cerebri cum sopore, per aliquot dies continuante, et sanguinis jacturam ex ore et nari-

bus perpressus erat, die XI. Oct. anni c183ccqxx. doloribus capitis, post venationem eadem die institutam tempore vespertino maxime auctis, corripitur. Sequenti nocte haemorrhagia narium, cui post lapsum ex equo periodice non raro subjectus fuerat, profusa sed absque levamine dolorum capitis accedit. Nihilominus altera die lassus ad gymnasium mane se confert, sed, epistaxi repetita, domum reverti cogitur. Supervenit meridiano tempore horror, post meridiem calor fugax, ad vesperam autem cum affectione capitis aucta dolor in inferiori parte thoracis cum diarrhoea, et insequenti nocte delirium. Incassum medicus accersitus pulveres, ut videtur, salinos praescribit, morbus sequentibus diebus cum doloribus capitis pectoris et abdominis, diarrhoea, appetitu deleto et lassitudine auctis, deliriis interim sub repetita epistaxi imminutis, gravescit. Exhaustus tandem aegrotus die XVI. Oct. versus vesperam scholae clinico-medicae traditur. Instituto examine habitum stupore oppressi pessimum, oculos languentes semiclausos, faciem collapsam pallidam, cutem aridam luridam, linguam siccam, abdomen sub attactu dolens ceterum molle, sitim auctam, pulsum debilem inaequalem et ad centum fere ictus acceleratum invenimus. Quae quum ita se haberent, aegrotum nudum labro vacuo inmissum aqua frigida perfundere non dubitavimus, quo facto caput paullo liberius reddi et minus dolere coepit. Tum usum medicamenti eadem die a medico praescripti, ex infuso rad. Arnicae Valerianaëque et spiritu C. C. succinato compositi, continuare et decoctum panis tostii ad extinguendam sitim praebere jussimus, remedia externa vero non applicantes, quia sinapismi ante aegroti receptionem suris jam impositi fuerant. Sequenti die, post noctem sub insomnia et levi perspiratione transactam, pulsus paullo rarior erat, cetera vero symptomata perstabant. Quamquam enim mane jam vesicam glacie repletam capiti imposueramus, epistaxis tamen aceto coercenda rediit. Praescripsimus nunc: Rec. Rad. Serpent. virg. Rad. Arnicae aa ʒijj Inf. Aqu. font. ferv. q. s. Colat. ʒvj add. Spir. sulph. aeth. ʒij S. Omni bitorio praebetur cochlear unum, potui autem Elixirium acid. Hall. addere et corpus aceto lavare praecepimus. Meridiano tempore paucillum jasculi carnis cum vitello ovorum et vino rubro assumebat, ad vesperam autem magis febricitabat. Diarrhoeae continuantis causa

versus noctem clysmata ex amylo cum TR Opii simplicis guttis decem applicare curavimus. Die XVIII. Oct. aegrotus, postquam noctu satis bene dormiverat et multum sudaverat, magnum levamen sentiebat; nihilo tamen secius febris mane mitigata ad vesperam denuo, sed absque haemorrhagia, incresebat. Hesternis remediis nunc lotiones corporis ex spiritu vini camphorato et aceto vini addidimus. Die XIX. Oct. perparum dormiverat, et quamquam non ultra nonaginta octo pulsus paullo fortiores in sexagesima numerabantur, tamen, ceteris symptomatibus, excepta epistaxi, perstantibus, status soporosus aliquantum increverat, simulque cum alvo fluida lumbricus ejectus fuerat. Sub usu remediorum continuato abdomini nunc sinapismum applicuimus, potui autem loco Elixirii ac. Hall. vinum rubrum adjecimus. Sequenti die post levem perspirationem nocturnam haemorrhagia narium fortior mane redibat ita, ut turundis modo compesci posset. Quamquam vero de doloribus capitis auctis querebatur aeger, sopor tamen imminutus et lingua humidior erat. Praescripsimus jam: Rec. Rad. Serp. virg. Rad. Arnicae $\mathfrak{z}\mathfrak{z}$ $\mathfrak{z}\mathfrak{z}$ Inf. Aqu. ferv. q. s. Col. $\mathfrak{z}\mathfrak{v}$ add. Spir. sulph. aeth. $\mathfrak{z}\mathfrak{j}$ S. Omni biborio sumatur cochlear, et diarrhoeae causa clysmata cum opio versus noctem reiteravimus. Die XXI. Oct. post somnum satis quietum cum perspiratione aucta et diarrhoea imminuta, dolores capitis pectorisque et sitis decreverant, arteriae nonaginta tantum vicibus micabant, lingua humida pura erat et urina foetens sedimentum albicans cum crystallis salinis deponebat. Addidimus nunc medicamento priori adhuc Corticis peruviani flavi uunciam dimidiam, fomentationes frigidas vero hucusque continuatas et lotiones, ne motus critici impedirentur, removimus. Ceterum aegrotus diem satis bene transigebat, cum appetitu cibos leviores assumebat, brevi post dormiebat, multum sudabat et vesperi parum febricitabat. Quum vero ter alvum adhuc fluidam deposuisset, ante noctem clysmata cum opio denuo applicare praecepimus. Die XXII. Oct. in omnibus melius sese habebat et post meridiem tres cubitos bothriocephali lati per anum reddebat aeger. Perstitimus in remediorum usu, clysmate cum opio ante noctem repetito. Die sequenti, quo perspiratio cutanea et sedimentum urinae cum incremento turgoris vitalis continuabat, diarrhoea autem cessabat, medicamenti formulam hanc concinnavimus: Rec. Cort.

peruv. flavi ʒvj Coqu. cum Aqu. font. q. s. Sub finem coct. add. Rad. Serp. virg. ʒvj Colaturae ʒix admisc. Spir. sulph. aeth. ʒjj S. Propinentur omni bihorio cochlearis duo. Die XXIV. Oct. cum appetitu aucto symptomata febrilia et dolores omni ex parte evanuerant, et ex illo inde tempore sub usu decocti Corticis peruv. cum ligno Quassiae indies aegre magis convalescebat ita, ut die XXXI. Oct. lectum relinquere inciperet. Praescripsimus nunc: Rec. TR Chinae compos. et TR amarae ꝑā ʒj M. S. Sumat quater per diem sexaginta guttas cum vino. Cujus medicamenti dosim quum die III. Nov. ad octoginta guttas auxissemus, altera die doloribus ventriculi et faucium cum appetitu deleto et motibus febrilibus levioribus vexabatur, quos post usum spirituosorum antea quoque semper percepisse contendebat. Hinc tincturam cum solutione extracti Absinthii in aqua Menth. pip. commutavimus, quo facto molestiae a die VIII. Nov. inde denuo evanescebant et restitutio virium sub usu infusi vinosi e cortice peruv. flavo et ligno Quassiae parati progrediebatur ita, ut die XVI. ejusd. omni ex parte sanatus dimitti posset aeger.

Epicrisis: Qui febres acutas cum congestionibus sanguinis ad caput majoribus incedentes venaesectionibus et purgationibus, primis diebus institutis, tuto compesci posse contendunt, ex historia hac discere possunt, in remediis illis non omnem spem esse ponendam. Sub sanguinis enim et alvi profluviiis, prima die exortis, malum magis magisque incresebat, donec evacuationes mitigarentur, et febris decursum suum ad diem nonam usque absolvebat. Porro, quod plerumque in exhaustis evenire vidimus, eadem die crisi perfecta non plane superabatur, sed repetitis motibus criticis die demum undecima fiebat. Ceterum, in usu spirituosorum tempore convalescentiae caute incedendum esse, denuo confirmatum cognovimus.

10) *Febris remittens a Stud. Med. Landesen observata.*

Maria, femina constitutionis robustae, vicesimum octavum aetatis annum agens, quae ante octo annos puerum pepererat, tribus annis post amenorrhoea cum fluore albo per quatuor annos continuante, cui tandem dolores extremitatum supervenerant, correpta fuerat. Dolores in suris et brachiis, quamquam catamenia ante annum, idque tertia quacunque hebdomade cum vertigine et capitis dorsique dolore, redierant, pertinaces tamen remediis ad-

hibitis restiterant et in carpo sinistro ancylosin spuriam prodixerant. Momenta mali causalia in humiditate frigida quaerenda esse videbantur, quibus aegrotam lavandis linteis occupata perpetuo se exposuerat. Sub tali negotio tandem die XVI. Oct. anni c1010cccxx. tempore pomeridiano menstruans in in amnem lapsa, ex aqua sui non conscia extracta fuerat. Brevi mentis denuo compos de doloribus vehementioribus in capite, pectore, osse sacro et brachio dextro conquesta aliquot horis post in delirium usque ad noctem continuans inciderat. Tum iterum sui conscia doloribus vehementissimis se cruciari contenderat, media autem nocte rursus delirare inceperat. Altera die nosocomio tradita periodice delirare et vertigine atque doloribus vexari perrexit. Sensibilitas ita adaucta erat, ut attactus levissimus et qualiscunque strepitus motus convulsivos excitaret, pulsus autem suppressus, licet non acceleratus, fluxus menstruus parvus et appetitus deletus. Ad imminuendam sensibilitatem auctam et promovenda catamenia praescripsimus: Rec. Rad. Valer. ʒvj inf. Aqu. ferv. q. s. Col. ʒvj add. Extr. Aloes aquosi gr. xxjv Spir. C. C. succin. ʒjß M. S. Sumatur omni bitorio cochlear tibarium, tum aegrotam balneo tepido immisimus, suris vero sinapismos et capiti frictiones ex Ammonio caustico applicuimus; potum tandem e floribus Chamomillae praeparatum et victum tenuem consuetum praebuimus. Post meridiem hora audita tertia repente delirium cessabat, et sui conscia aegrotam de vertigine, dolore capitis et siti ardente querebatur, audita autem hora septima deliria redibant et per totam noctem continuabant. Die XVIII. Oct. catamenia cessaverant, pulsus frequentius micabat et sensibilitas aucta sub attactu cum deliriis perstabat. Applicuimus nunc vesicatorium cervici simulque omni bitorio non nisi tincturae Valerianae aether. guttas viginti praebuimus. Post meridiem sui denuo conscia, sitis expers, pulsum liberiorem vix acceleratum ostendebat, et iasequente nocte deliria erant mitiora. Die XIX. Oct. mentis maxima ex parte compos de doloribus artuum, praecipue in carpo manus sinistri et suris querebatur et alvum bis fluidam deponebat; ceterum pulsus fere normalis, sanguinis menstrui loco autem fluor albus observabatur. Hinc usum mixturae prima die praescriptae continuare decrevimus. Sequenti die post deliria nocturna, quae per comminationes curatricis reprimebantur, sympto-

mata diei praecedentis perstabant. Praescriptissimus propterea tincturae Valer. aeth. Spir. C. C. succ. et Tinct. Castor. partes aequales, ut omni bihorio guttas viginti assumeret, quo facto proximis duobus diebus deliria non redibant, cetera vero symptomata nervosa, periodice variantia, et blenorhoea sub transpiratione cum appetitu aucto, sensim sensimque imminuebantur. Interim medicamenti non nisi guttas quindecim perferre potuit, quod major quantitas vomitum procreabat. Sensibilitate ventriculi per cataplasmata emollientia mitigata, die XXIII. Oct. drachmis tribus prioris remedii grana sex extracti Aconiti adjecimus et dosin sensim auximus, simul vero balneum cum Kali carbonico paratum adhibere et carpo sinapismum imponere jussimus. Sic morbus, qui post immersionem in aquam supervenerat, superabatur et non nisi pristinus, doloribus artuum gravioribus se exerens, aucto simul fluore albo, supererat. Propterea sub finem mensis tincturae Guajaci volatilis drachmas duas et extracti Aconiti grana decem praescriptissimus, ut omni bihorio guttas viginti sumeret, usum balneorum alcalinorum autem continuavimus. Incipiente mense Novembri sub usu Tincturae Chinae compositae vires incresebant, sed dolores vagi perstabant, et die VII. ejusd. catamenia larga apparebant. Sequebatur fluxum sanguinis quarta denuo die blenorhoea copiosa, doloribus ceterum in pedibus et manu sinistra perseverantibus, non raro quoque caput occupantibus, et cum digestionem laesa incedentibus. Hinc malum pertinax antarthriticis, praecipue resinae Guajaci interno et Hydrargyri muriatici corrosivi atque hirudinum usu externo, interpositis, vomitoriis et laxantibus, superare tentavimus, quo facto sub finem ejusdem mensis, ancylosi spuria quidem constante, sed doloribus maxima ex parte libera aegrotata ad continuanda negotia sua dimitti poterat.

Epicrisis: Malum satis complicatum ab initio et sub finem morbi arthritidem rheumaticam irregularem constituebat, cui, refrigerii subitanei atque terroris fortioris vi, tempore catameniorum symptomata nervosa, deliriis periodicis et nimia sensibilitate insignia, supervenerant ita, ut febris nervosa instare videretur. Interim, affectibus nervosis mitigatis, haec non evoluta est, sed loco ejus fausto omine malum consuetum recruduit.

b) Febres lentae.

c) *Atrophia a Stud. Med. de Schubersky observata.*

Anna, puella quinque annorum, maxime scrophulosa, e relatione matris ante mensem, tussi laborans in febrem remittentem, primo cum frigore et calore sicco, postea vero cum sudore incedentem, inciderat, cui ante tres dies post terrorem adhuc motus convulsivi supervenerant, sequentibus noctibus repetiti. Hac ratione maxime emaciata die VII. mens. Mart. anni 1810ccccxx. in institutum nostrum recepta est. Pulsus tum minimus valde acceleratus, respiratio brevis, tussi spasmodica non raro vomitum ciente interrupta, caput sopore oppressum, os apertum, oculi subclausi materia purulenta repleti, cutis arida, lingua sicca, appetitus deletus, sitis aucta, excretio urinae involuntaria observabantur, in regione lienis autem tumor circumscriptus durus tactu distinguebatur. Praescripsimus: Rec. Rad. Valer. $\mathfrak{z}\beta$ Inf. Aqu. font. ferv. \mathfrak{q} . s. Col. \mathfrak{z} vijj add. Camphorae cum suffic. quant. Gummi arab. subactae gr. vijj Extr. Hyosc. gr. \mathfrak{iv} M. S. Sumantur omni bihorio cochlearia caldaria duo, pro potu vero decoctum Radic. Salep, addito femine Anisi, et ad inungendum abdomen Unguent. mercur. ciner. cum Linimento ammoniato, pectori emplastrum de Gummi amiaonico imponentes. — Altera die, nocte paullo tranquillius transacta, frequentia pulsuum cum tussi decreverat, cetera autem symptomata perstabant. Die IX. Mart. clysmate applicato, alvum primo normali modo, postea vero semifluidam praeter voluntatem deponebat, pulsu ceterum vix accelerato sed minori. Incassum infuso-decoctum e Cortice peruviano et Radice Valer. cum Spiritu sulphurico-aether. nec non sinapis-mos in auxilium vocavimus; debilitate enim cum sopore aucta, die XI. ejusd. versus noctem convulsiones accedebant, sub quibus sequenti die mane exstinguebatur aegrotata.

Sectione cadaveris instituta, hepar tumidum, in inferiori parte lividum, in superiori maculis pallidis distinctum, ceterum vix innormale, vesicam felleam bile turgescentem, lien volumine cum liene hominis adulti comparandum, grumis caseosis diversae magnitudinis repletum, ventriculum spatiosum, collapsum, in interna superficie muco nigricante obductum et simile fluidum

cum sex lumbricis continentem, duodenum dilatatum, lividum, quatuor adhuc lumbricos ad introitum ductus choledochi convolutos includens, intestinum coecum et colon adscendens in nodum quasi contracta, curvaturam sigmoideam pone vesicam urinariam repletam compressam, glandulas meseraicas a nucis avellanae ad juglandis magnitudinem usque auctas et induratas, in globum majorem racemosum coacervatas, ideoque mesenterium maxime contractum et intestina plicata invenimus. Glandulae ipsae discissae, in ambitu cinereae, nucleum flavum caseosum durum, facili negotio separandum, ostenderunt. Pulmo sinister cum pleura thoracis concretus inflammationis vestigia et tubercula in materiam purulentam abeuntia, superiori lobo praecipue dispersa, continuit.

Epicrisis: Vomicae in pulmone reperta evidenter originem e tuberculis scrophulosis cum contento glandularum meseraicarum et grumis in liene convenientibus duxerant, et sententiam ccl. *Laennec* egregie confirmarunt, secundum quam ulcera e tuberculis liquescentibus genita in lobis superioribus praecipue occurrunt, quum destructiones inflammationi debitae in inferioribus, illius sede primaria, potius inveniantur.

2) *Atrophia a Stud. Med. Prietz observata.*

Jurri, rusticus, temperamenti phlegmatici, habitus scrophulosi et, licet vicesimum sextum aetatis annum agens, vix signa pubertatis ostendens, a pueritia inde male nutritus et doloribus colicis saepe vexatus, ad labores graviores suscipiendos coactus fuerat ita, ut juvenili aetate evolutio corporis plane impediretur. Ante duos annos post nimiam sub elevatione oneris virium intensionem molestiae in abdomine, praecipue in parte ejus dextra, increverant. Accesserat ex anno dimidio quotidie, aliquot horis post cibum assumptum, vomitus et alvi excretio rara molestaque, posthaec dolor in pectore cum tussi et sputis interdum cruentis, emaciatio summa et febris lenta. Nosocomio quum die XIX. Aug. anni 1810ccccxx. receptus esset, habitus tristissimus et exhaustio virium maxima vix ullam restitutionis spem relinquere videbantur, cutis enim squalida corii mortui instar corrugata ossibus inhaerebat, extremitates inferiores ad abdomen adductae vix moveri poterant et dolor abdominis perpetuo eum vexabat. Pulsus minime acceleratus, lingua sicca,

volae manuum et plantae pedum calebant, urina autem cuticulam adiposam ostendebat. Ceterum vitia organica exploratione corporis externa non reperiabantur. Ad promovendam, quantum fieri posset, digestionem primo decoctum e radicis Columbo uncia dimidia et Aquae font. unciis octo paratum cum drachmis duabus Spiritus sulphurico-aetherei quater per diem cochleatim propinare, infusum herbae Menthae pip. Melissae citratae et radicis Althaeae potus loco praebere, abdomini cataplasmata aromatica tepida imponere, ano vero clysmata emollientia injicere jussimus. Ceterum tenuiori victu, ovis sorbilibus et cerevisia eum nutrire decrevimus. Sub usu horum remediorum, quibus brevi post paucillum vini, frictiones cum oleo Terebinthinae vegetationem egregie adjuvante et balnea tepida addidimus, symptomata sensim sensimque imminuebantur et sub finem mensis, febre maxime mitigata, dolores colici cessaverant ita, ut somno tranquillo aeger reficeretur. Jam vomitus raro accedebat, alvus sponte solvebatur, cutis mollitiem et turgorem recuperabat et vires increscebant. Hinc mense Septembri medicamenta magis tonica cum diaeta validiore in auxilium vocare ausi sumus, et a die III. ejusd. Extracti Absinthii unciam unam in Aquae Menth. pip. unciis octo solutam cum Spiritus sulphurico-aetherei drachmis duabus quater per diem cochleatim exhibere praecepimus. Die IX. Sept. vegetatione adhuc magis progressa, aeger ex longo tempore lecto detentus paullulum obambulare incipiebat, quamquam oculi profundi languentes et vultus tristis stuporem adhuc satis magnum probebant. Periculum nunc cum usu Liquoris cupri ammon. muriat. *Köchlini* facere, et hunc in finem drachmam ejusdem cum unciis Aquae destillatae decem dilutam ante prandium et coenam, ex praeceptis inventoris cum vino, omissis reliquis medicamentis, repetitis tamen balneis, exhibere decrevimus. Adhibito hoc remedio pari quidem passu restauratio virium aegroti procedebat, interim die XX. Sept. inopinato dolores colici in regione gastrica cum ructibus et salivae in ore confluxu superveniebant. Quae symptomata quam suspicionem vermium intestinalium, quos aegrotus olim per os et anum aliquoties reddiderat, ex parte adhuc superstitem excitarent, praeter remedium hucusque propinatum olei anthelmintici *Chaberti* mane et vesperi adhuc guttas triginta praebere jussimus,

quia hoc medicamentum vegetationem simul egregie adjuvare persuasum nobis fuit. Ex illo inde tempore aegrotus, quamquam vermes non evacuebantur, molestiis digestionis tamen parum vexatus vires magis magisque recuperabat et die XIX. Oct. cum tinctura Absinthii domi adhuc sumenda e nosocomio dimittebatur. — Privatos inter parietes primis septimanis, diaeta et regimine rite ordinatis, magis adhuc convaleuit, sed brevi post sibi relictus, frigori expositus et victu carens, in morbum superatum rursus inciderat. Die IV. Dec. de novo ad nosocomium deductus maxime emaciatus, febre affectus, curvato corpore jacens, doloribus colicis et vomitu rursus cruciabatur. Nihilominus sub usu interno primo decocti rad. Columbo cum Spiritu sulphurico-aethereo, postea Liquoris *Koechlini*, tum infusi Radicis Calami aromatici et Columbo, cui ructuum acidorum et cardialgiae cum vomitu supervenientium causa natrum carbonicum adiciebatur, tandem vero tincturae nervinae *Bestuscheffi*, et Olei terebinthinae nec non balneorum applicatione externa malum de novo compescere nobis contigit ita, ut mense Januario anni 1800 tincturae martiali corticem peruvianum interponere, mense Februario autem infusum vinosum e radice Calami arom. ligno Quassiae et limatura Martis praeparatum cum successu propinare possemus. Sic debilis quidem et pallidus, sed longe melius nutritus et a molestiis pristinis liberatus die XXVII. mensis ejusdem, ut regulas diaeteticas probe teneret admonitus, iterum dimittebatur.

Epicrisis: Vomitus e dimidio anno post assumptum victum quotidie secutus nos primo coarctationem vel compressionem quandam in canali intestinorum suspicari commovit; successus interim non nisi victum crudum intestinis debilitatis ingestum in causa fuisse docuit. Ceterum ab infantia inde scrophulosus aeger vasorum resorbentium et glandularum meseraicarum vitiis insignibus laborare videbatur, quae omni ex parte, si unquam fieri potest, non nisi decursa temporis diaeta et regimine bonis superabuntur.

c) Inflammationes.

1) *Pneumonia cum hepatitis, quam febris intermittens sequebatur, observata a Stud. Med. Frahm.*

Boehmerus, aurifex vicesimum aetatis annum agens, die II. mens. Febr. anni 1800 post refrigerium in itinere perpassum, dolore in media parte pectoris, tussi et febre remittente correptus fuerat. Malo sensim sensinque aucto die XII. ejusdem instituto clinico traditus praeter symptomata memorata habitum parum mutatum, pulsum modice acceleratum vix suppressum, respirationem difficilem, sputa parca ex parte sanguine tincta, appetitum deletum, linguam muco tectam et saporem in ore amarum, sitim vero satis magnam et caput dolens vertigine obnubilatum offerebat. Ortum mali e refrigerio, decursum lentum et symptomata minus urgentia ante oculos habentes praescripsimus die XIII. Febr. Rec. Hydrargyri mur. mit. gr. β Elaeos. Foenic. gr. α M. F. P. D. tal. dos. no. xij S. Omni bihorio sumatur dosis una, et: Rec. Rad. Valer. silv. $\mathfrak{z}\beta$ Inf. Aqu. ferv. q. s. Colat. $\mathfrak{z}\nu j$ add. Oxym. simpl. $\mathfrak{z}\beta$ S. Omni bihorio alternis vicibus cum pulveribus propinetur cochlear cibarium, simulque potum tepidum praebuimus. XIV. ejusd. die post perspirationem cutis auctam levamen in pectore sentiebat, alvum autem semel fluidam deponebat aeger, quare mercurii usum omisimus. Die XV. Febr. post sudorem majorem dolor pectoris magis decreverat, tussis autem continuabat et caput in regione frontis magis dolebat. Propterea, alvo non amplius deposita, Hydrargyri muriatici mitis cum aequali portione Sulphuris stibiati aurantiaci conjuncti usum reiteravimus, cervici autem emplastrum vesicatorium applicuimus. Ceterum febris mitior ad vespertinam non exacerbata erat ita, ut hodie, die decima quarta morbi, finiri videretur. Interim sequenti die non omni ex parte cessaverat, et dolor capitis cum tussi fere sicca continuabat. Hinc praeter infusum Valerianae omni bihorio Sulphuris stibiati aurantiaci granum dimidum cum Camphorae grano integro praescripsimus, et per biduum continuavimus. Die XVIII. Febr. affectione pectoris fere fugata, aegrotus de dolore in hypochondrio dextro sub tactu aucto, anorexia cum sapore oris amaro continuante et nausea querebatur

ita, ut inflammationem hepatis adhuc superstitem esse non dubitarem. Itaque loco dolenti vesicatorium imponere, ambitum vero unguento hydrargyri cinereo cum camphora inungere jussimus. Mox dolor capitis a XVI. inde Febr. aegrotum mane in primis vexans typum exacte intermittentem ostendebat, ideoque aegrotum die XXI. ejusd. vomitorium exhibere non dubitavimus, quo facto dolor, die sequenti jam valde mitigatus, XXIII. Febr. non amplius apparebat. Brevi quoque affectio localis in regione hepatis sub usu Extracti Trifolii fibrini et Natri sulphurici in Aqua Menthae pip. soluti evanuit, et die I. mens. Mart. aeger omni ex parte restitutus ad negotia consueta rediit.

Epietisis: Inflammatio rheumatica, quod videtur, pulmonem simul cum hepate invaserat, in hoc vero organo luculentius demum sese exseruerat, postquam in illo evanuerat. Haec affectio hepatis, superata intra quatuordecim dies pneumonia cum febre remittente, larvata intermittente, dolore capitis gravi sese ostendentem, produxerat, quacum ipsa tandem evanuit.

2) *Pneumonia a Candidato (nunc Doctore) Med. Fowelin observata.*

Voigtus, equiso viginti annorum, constitutionis debilioris, post noctem in aëre libero transactam die XX. mensis Aug. anni 1800cccxviii. febre, doloribus pectoris et catarrho correptus fuerat. Morbo cito incrementum, die XXII. ejusd. in nosocomio nostro auxilium quaerens, vertigine et lassitudine, respiratione accelerata et anxia, tussi sicca, pulsu frequenti et molli, appetitu deleto, lingua mucosa flavescens tecta, habitu vero languorem significante laborabat. Hinc primo venae sectionem instituere dubitavimus et non nisi omni bitorio granum dimidium Hydrargyri muriatici mitis cum decocto specierum pectoralium praebere, pectori autem vesicatorium imponere jussimus. Quam vero altera die, post noctem absque somno transactam, levamen in pectore non observaretur, venae sectionem diutius differre non ausi, sanguinis uncias sex e brachio detraximus et mercurii usui continuato Ammoni muriatici drachmam unam cum succi Liquiritiae drachma una et dimidia, Gummi arabici autem drachmis tribus, in Aquae Foeniculi unciis sex solutam cochlearum interponere praecepimus. Sub venae sectione aegrotus quidem deliquio animi corripiebatur et sanguis ipse coagulatus crustam inflammato-

riam non ostendebat, febris ipsa autem vespertino tempore valde exacerbata erat; nihilo tamen secius, respiratione paullo liberiori reddita, insequente nocte aegrotus aliquantum dormiebat. Die XXIV. Aug. statu vix mutato, remedium hucusque adhibitorum usum continuavimus et suris sinapismos applicuimus. Sequenti die sputa parca sanguine tincta, pulsus autem paullo liberiores, lingua purior et urina nubecula distincta erant. Die XXVI. ejusd. hydrargyro aequalem portionem Sulphuris stibiati aurantiaci, solutioni salis ammoniaci autem Camphorae grana sex addidimus, et pectori recens vesicatorium imposuimus. Turba febrili vespertino tempore aucta, insequenti nocte aegrotus multum sudaverat, et die XXVII. Aug. pulsus normalis et lingua pura febrem superatam esse docebant; nihilominus tussis fere sicca et respiratio molesta adhuc perstabat. Praescripsimus nunc: Rec. Kerm. min. Rad. Ipecac. $\mathring{a}\mathring{a}$ gr. β Elaeosacch. Foenic. gr. x M. F. P. D. tal. dos. no. xij S. Omni biberio exhibeatur pulvis unus, et: Rec. Flor. Samb. Flor. Cham. vulg. $\mathring{a}\mathring{a}$ \mathring{z} ijj Inf. Aqu. ebull. q. s. Colaturae \mathring{z} vj add. Camphorae gr. xij Gummi arab. \mathring{z} ijj M. L. a. S. Sumatur omni biberio cochlear unum. Die XXVIII. Aug. urina sedimentum copiosum deponebat et, Opii versus noctem modica dosi propter tussim siccam exhibita, die sequenti, quamquam sputa vix in conspectum venirent, molestiae pectoris omni fere ex parte evanuerant. Ex illo inde tempore sub usu extracti radicis Gentianae cum Sulphure stibiato rubeo, post Lichenis Islandici, functiones viresque corporis ita restituebantur, ut juvenis die IV. Septembris sanus dimitti posset.

Epicrisis: In hoc casu insolito modo cum septima exacerbatione febris sudore critico, affectio localis vero cum nona demum sedimento urinae copioso, absque sputis vel postea non apparentibus, solvebatur, idque adhibitis post venaesectionem remediis excitantibus, quae propter habitum aegroti languentem, ex oculo minus splendente et cutis colore subfoedo cognoscendum, necessaria esse videbantur et spem nostram non fallebant.

3) *Pneumonia complicata a Studioso Med. (nunc Medic. pract.) a Dehn observata.*

Jahn, excubitor, bibendi nimius, constitutionis debilioris, habitus cachectici et macilenti, triginta quinque annorum, die XIV. mensis Augusti anni

αλοβόcccxκ. doloribus pectoris vehementioribus e causa ignota correptus fuerat. Die XVII. ejusd. quam nosocomio receptus esset, habitus cutis squalidae frigidiusculae, temperatura nasi prae ceteris imminuta et languor oculorum cum summa lassitudine exhaustionem insignem praebebant; respiratio erat valde asthmatica, sputum ichorosum sanguine tinctum, pulsus minimus frequens, lingua mucosa tecta, appetitus deletus, sitis aucta, alvi excretio autem frequens aquosa. Inflammationem organo thoracis exhausti aegroti destructis hic supervenisse persuasi, venaesectionem instituere non ausi, omni bithorio non nisi Hydrargyri muriatici mitis granum dimidium et Opii puri quadrantem grani, interjecto infuso radicis Valerianae cum Gummi arabico, ad extinguendam sitim vero decoctum radicis Althaeae cum semine Foeniculi praescribere et pectori vesicatorium imponere decrevimus. Altera die, post noctem sub insomnia transactam, respiratio paullo liberior, pulsus autem minus frequens esse videbatur, ideoque in usu remediorum perseveravimus, diarrhoeae continuantis causa cuivis dosi infusi Valerianae adhuc Laudani liquidi guttas duas et ante noctem semel quinque adjicientes. Die XIX. Aug. nocte longe melius transacta, aegrotus tussiens materiam purulentam grumis fuscis intermixtam, in aqua subsidentem, eiciebat. Ceterum facies lurida frigebat et diarrhoea continuabat. Hanc timentes hydrargyri muriatici mitis loco Unguentum mercurii cinereum cum Camphora thoraci inungendum, infusi Valerianae loco autem decoctum radicis Polygalae amarae cum Gummi arabico praescripsimus, vesicatorium perpetuum pectori adhuc applicantes. Interim die XX. Aug. omnia ad pejora ruebant, respiratio difficilior, tussis molestior et sputa magis purulenta erant, pulsus minor et frequentior ad vespeream intermittebat, facies, licet in gena dextra rubore circumscripto distincta, magis frigebat et diarrhoea vires plane exhauriebat. Post noctem tandem sub maxima anxietate transactam die XXI. ejusd. cum pulsu et calore extremitatum loquela quoque cessabat et versus meridiem, livore faciei inducto, aegrotus jam suffocatus periit.

Sectione cadaveris instituta, in thorace pericardium crassum maxime dilatatum invenimus ita, ut totum pectus replere videretur. Eodem aperto, superficiem ejus internam et totum cor membrana spuria lanuginosa coloris

lutei tecta, cuius villi in sero pellucido flavescente, ad quantitatem sex fere librarum collecto, fluctuabant, conspeximus. Cor ipsum, membrana illa liberatum, ambitum iusto majorem, strato adiposo ubique ipsum circumdanti debitum, structuram internam vero normalem et ventriculos coagulato sanguine repletos ostendebat. Arcus aortae in interna superficie prope cor maculis albis induratis et in progressu rubore distinctus praegressae inflammationis vestigia offerebat. Pulmo sinister ubique cum partibus vicinis concretus, in superficie rubicundus, ceterum laxus, et prope pericardium exulceratus, dexter autem maxima ex parte liber, sed tuberculis, partim duriusculis partim suppuratis, imprimis in lobo superiori repletus, ceterum lividus et sanguine praecipue in lobo inferiori turgens reperiebatur. Bronchia ipsa erant indurata, cetera vero organa abnormitatem memoratu dignam vix ostendebant.

Epicrisis: Historia morbi ipsa considerata, opprobrio nobis esse posset, venae sectionem institutam non fuisse; interim ad aspectus aegroti, magis vero sectione cadaveris inventa vitia organica hac nihil effici potuisse, luculenter monstrabant. Dilatio enim pericardii crassi membrana villosa obducti, membrana spuria et stratum adiposum, crassitudine quadrantis pollicis fere gaudens, nec non mutatio principii aortae defunctum lentae et repetitae organorum circulationis inflammationi jam dudum subjectum, et simili affectioni vel accretionem pulmonis sinistri nec non suppurationem utriusque debitam fuisse, luculenter ostendebant. Hinc jure asthna insigne his vitis magis, quam pulmonis dextri inflammationi supervenienti, e semiologia cel. *Laennec* primum gradum vix superanti, tribuendum fuisse putamus. Quamquam enim aegrotus, se ante ultimum morbum molestiis respirationis laborasse, negaret, ne tamen tamen verbis ejus fidem habendam esse censemus, quum potiores non raro incredibili modo ejusmodi mala negligant. Ceterum eadem ex causa praesentiam istorum compertam habere non potuimus, quum pneumoniae novae accedentis symptomata reliqua incerta et dubia redderent. Accedit, aegrotum fatuum et morbo oppressum sensationes suas neque rite distinguere neque apte explicare valuisse.

4) *Pneumonia lethalis a defuncto Doctore Med. de Koerber observata.*

Juhn, plebejus potui spirituosorum deditus, triginta annorum, ante duos dies mania agitatus in pago quodam detentus fuerat. Die VI. mens. Sept. anni 1839. ad iastitutum clinicum delatus, sui parum conscius, symptomata pneumoniae fortioris praese ferebat, quare venaesectionem instituere non dubitavimus, quamquam historia morbi nobis plane ignota esset. Altera die, qua morbus eodem gradu saevire pergebat, symptomata haec fere observabantur. Jacebat aegrotus capite obnubilato, oculis turbidis, labiis siccis crusta tectis, facie sigillationibus (procul dubio e contusione ortis) notata, respiratione accelerata stertente, tussi molesta cum excretionem ichoris sanguinei foetentis, pulsu frequenti, parvo et irregulari ita, ut inflammationem pulmonibus desorganisatis supervenisse vix dubitare possemus. Quum sanguis hesternae die e vena emissus insuper crustam inflammatoriam ostenderet, pectori nunc adhuc hirudines, tum autem vesicatorium applicare, et omni bihorio granum hydrargyri muriatici mitis praebere decrevimus. Interim eadem jam die, audita hora quarta pomeridiana, aegrotus periit.

Cadaveris sectione instituta, in cranio praeter parvam seri in ventriculis cerebri accumulationem memoratu dignas mutationes non reperimus. In thorace contra vitia satis magna occurrerunt. Uterque enim pulmo non solum cum pleura et diaphragmate ubique concretus, sed omni quoque ex parte, praecipue in latere sinistro discolor degeneratus erat. Inflammatio omnes partes diversis illis in gradibus, quos *cel. Laennec* egregie descripsit, occupaverat, magis tamen, quod monuimus, pulmonem sinistrum. Lobus superior turgidus, lividus et nigricans, discissus copiosum humorem adspectus foedi fundebat, et compressus parum crepitabat; lobus inferior autem exsudatione lymphae plasticae ita repletus et involutus erat, ut massam carnosam densam, externae carcinomatis instar exesam interne autem exulceratam, constitueret a thorace vix condendam. Cordis ventriculus sinister crassitudine auctus et lamina lardacea obductus, membrana interna autem vasorum majorum, praecipue venarum pulmonalium, prope cor rubicunda

erat. In abdomine hepar volumine auctum, vesica fellea bile spissa viridescente turgens, intestina tenuia vero ex parte coarctata conspiciantur.

Epicrisis: Destructiones et vitia organica post mortem inventa haud dubie ex inflammationibus diverso tempore saevientibus originem duxerant, et nuper demum, uti videtur, novo a sobrietate excessu immodicus aegrotus primo in oenomaniam, post in pneumoniam incidit, quae primis stadiis neglecta desorganisationibus jam obviis funestum attulit exitum. Ceterum affectio cordis hic rursus occurrens, in pneumoniis circulationis organa non raro tangi, quamquam symptomata characteristicam tali in complicatione difficiliter cognoscantur, luculenter ostendit.

5) *Pleuritis a Stud. Med. Perbandt observata.*

Sophia, tricesimum secundum aetatis annum agens, constitutionis bonae, ex anno frequenti epistaxi obnoxia et a mense Martio inde gravida, die XII mens. Oct. anni 1860 post refrigerium doloribus capitis artuumque cum frigore, subsequente aestu et sudore correpta fuerat. Accesserant noctis tempore deliria et spasmi extremitatum inferiorum, die altera autem dolores in latere dextro thoracis pungentes, tactu aucti et inspirationem maxime impediens. Ceterum appetitus erat imminutus et sitis magna. Medicus tunc accersitus hydrargyri muriatici mitis grana duo cum pulvere radicis Valerianae omni bitorio sumenda praescripsit, vespertino autem tempore, exacerbata febre, ad institutum clinicum aegrotam ablegaverat. Hic pulsum ad 106 ictus acceleratum, duriusculum, sub inspiratione profundiori sese extolentem inveniens primo venae sectionem unciarum sex in brachio dextro instituit, deinde vero: Rec. Nitri depur. Succ. Liquirit. ꝯꝯ ʒj Aqu. comm. ʒvj M. S. Omni bitorio praebatur cochlear cibarium, praescripsimus, tandem vero vesicatorium loco dolenti applicuimus, pro potu infusum specierum pectoralium commendantes. Die XIV. Oct. post noctem melius transactam pulsus quidem paullo frequentior et tussicula cum sputis pituitosis parvioribus observabatur, sed respiratio paullo liberior reperiebatur. Hinc remediorum usum continuavimus. Sequenti nocte aegrotam dormiens sudaverat, quo facto die XV. ejusd. pulsus longe rarior, respiratio fere libera et

excretio pituitae copiosior apparebat ita, ut crisiu saltem imperfectam locum habuisse judicarem. Increverat insuper appetitus et aegroti surgendi periculum faciēbat. Propterea in mixtura repetita nitro sal ammoniacum substituere nobis placuit. Die XVI. cum quiete et sudore nocturnis vires magis iacreverant, dolores pectoris vero omni ex parte evanuerant. Hinc digestionis viribus sub usu solutionis extracti Trifolii fibrini in aqua Foeniculi refocillatis sequenti die aegrotam dimisimus.

Epicrisis: Morbus descriptus, incipientem pleuritidem cum symptomatibus gravioribus irruentem ex causa rheumatica offerens, tertia tamen jam die crisi superabatur, quod vim bonae corporis constitutionis et auxilii medici cito allati probat. Ceterum aëgophoniam stethoscopio cel. *Laennec* detegere non potuimus.

6) *Gastritis a Stud. Med. (nunc Med. pract.) a Dehn observata.*

Otto, auriga bonae constitutionis, vicesimum tertium aetatis annum agens, vino adusto satis adsuetus, die XI. mens. Jan. c1840ccxix. potu frigido, corpore aestuante, assumto gastrodyniam contraxerat. Altera die dolori aucto frigus cum subsequente aestu, et die XIII. Jan. vomitus toties, quoties aegrotus quidquam assumserat, repetitus cum amaritie oris et modica diarrhoea supervenerant. Increscens morbus die XV. ejusd. aegrotum auxilium medici supra nominati efflagitare commoverat. Hic praeter symptomata memorata pulsum durum et acceleratum, calorem magnum, linguam flavescentem siccam, dolorem capitis gravem, ventriculi autem sub tactu et inspiratione maxime auctum inveniens venesectionem novem unciarum instituerat, abdomini unguentum hydrargyri cinereum cum Camphora et Opio applicuerat, pro potu autem decoctum radicis Althaeae cum semine Foeniculi commendaverat. Nihilominus incipiente nocte, doloribus licet mitigatis, feбри exacerbatae tanta deliria accesserant, ut aegrotus e lecto exsiliret. Tum mentis compos sudans paullulum dormiverat. Die XVI. ad nosocomium deductus vomitu quidem non amplius, sed diarrhoea adhuc et gastrodynia cum tensione regionis epigastricae vexabatur. Pulsus frequens erat contractus, sitis vero et lassitudo insignis. Praescripsimus nunc: Rec. Extr. Opii aquosi gr. jii solv. in Aqu. Foenic. ℥vj add. Gummi arab. ʒjij S. Praebearur omni bihorio coclilear

cibarium, regioni ventriculi vesicatorium imposuimus, abdomen vero unguento mercuriali inungere iussimus. Diarrhoeae continuantis causa versus noctem tincturae thebaicae guttis quinque adhuc propinatis, deliria nocturna apparebant mitiora, quae somnus brevis cum perspiratione cutis sequebatur. Die XVII. Jan. pulsus acceleratus quidem, sed liberior et lingua purior, canalis cibarius autem minus sensibilis reperiatur ita, ut ventriculus leviolem attactum et paullulum jusculi carnis perferret, diarrhoea vero cessaret. Interim versus vesperam febris valde exacerbata erat, quo facto noctis tempore sudor universalis et die XVIII. ejusd. urinae sedimentum pituitosum copiosum observabatur. Haec phaenomena sub finem diei morbi septimi in conspectum venientia jure pro criticis haberi poterant, quum pulsuum frequentia iisdem maxime imminueretur, dolores ventriculi evanescerent et appetitus redire inciperet. Quare, inflammatione locali superata, extracti Cort. aur. drachmas duas in aquae Menth. crisp. uncias sex solutas, adjecta spiritus nitrico-aetherei drachma una, omni bihorio cochlearim sumendas praescripsimus. Sub usu hujus remedii die XIX. Jan. omnia bene procedebant, continuante enim perspiratione cutis symptomata febrilia omnia jam evanuerant. Die XX. interim Jan. e refrigerio, quod videtur, post incaute suppressum sudorem diarrhoea redibat et dolores rheumatici pedum accedebant, quod cuivis dosi mixturae tincturae thebaicae guttas duas addere nos commovit, quo facto sequenti die et haec mala disparuerunt. Nihil tamen secius die XXII. ejusd. denuo dyspepsia cum amaritie oris superveniebat, quae sub usu decocti radice Columbo et spiritus sulphurico-aetherei quidem imminuebatur ita, ut aegrotus duobus diebus post lectum relinquere posset, attamen non omni ex parte superabatur. Die XXVI. Jan. febris recrudescibat cum dolore capitis atque ventriculi, appetituque omni ex parte deleto. Quum errorem dietae celatum subesse conjiceremus, vomitorium autem vix propinare auderemus, alvum leniter promoveri decrevimus. Quem in finem praescripsimus: Rec. Kali acet. ʒij Aqu. destill. ℥viii Spir. nitrico-aeth. ʒj Ol. Foeniculi gutt. ij M. S. Omni bihorio propinetur cochlear unum. Jam aegrotus se alio adhuc malo in partibus genitalibus vexari confitebatur. Exploratione instituta blennorrhagiam balani deteximus, quam coitu impuro

ante tres septimanas contraxisse credebat, quamquam ad hesternam usque diem sequelas percepisse negabat. Ceterum febris cum dolore ventriculi et capitis, lingua sicca et pallore faciei incresecebat et die XXVIII. vel vomitus assumpto potu redibat ita, ut in morbum superatum recidere videretur, quamquam medicamenta ventriculus adhuc retinebat. Quum dolor in regione epigastrica, attactu auctus, locum circumscriptum tumescentem, magnitudinis uncialis rossici argentei, paullo ad sinistram situm occuparet, primum loco affecto quatuor hirudiues, tum scrobiculo cordis vesicatorium applicuimus, circumferentiam unguento mercuriali inungi, alvum autem clysmate solvi iubentes, et usui interno solutionem drachmarum duarum Gummi arabici in sex unciis aquae cum extracti Hyosc. granis duodecim cochleatim sumendam destinantes. Sequenti die, post noctem absque somno transactam, pulsus quidem paullo rarior et dolor localis imminutus erat, sed cephalalgia et lingua sicca cum siti et vomitu non bilioso perstabant. Meridiano tempore cum appetitu paullulum jusculi assumebat, quo facto alvus deponeretur et horror per horam continuans cum deliriis intervallatis doloribusque cessantibus superveniebat; tum calor et sudor universalis per horam unam et dimidiam sequebatur, tandem vero horror cum conscientia constanti redibat, donec denuo calor et sudor eum exciperet. Quae turbae naturam criticam ostendentes remediorum usum omittere nos commoverunt. Die XXX. Jan. post noctem sub sudore bene transactam frequentia pulsuum maxima ex parte, siccitas oris autem plane disparuerat, quamquam sitis adhuc continuabat. Die ultima Januarii tandem sub usu infusi Cort. Cascarillae symptomata febrilia omnino cessabant et die prima Februarii vel appetitus redibat. Ad juvandam digestionem aegroti nunc adhuc extractum Cardui ben. in aqua Menthae pip. solutum cum spiritu sulphurico-aethereo cochleatim sumendum, ad compescendam vero blennorrhoeam solutionem hydrargyri muriatici corrosivi externe applicandam praescripsimus, quo facto vires eum recuperare vidimus ita, ut die III. Febr. lectum relinquere posset. Interim brevi post in cervice et regione epigastrica furunculi plures in conspectum veniebant, quibus cum blennorrhoea simul sanatis medio mense Februario aegrotus in integrum restitutus dimittebatur.

Epicrisis: In exhibita morbi historia memoratu dignum esse videtur, quod aegrotus gastritide non nimis acuta die septima criseos ope superata, ineunte septimana tertia denuo in morbum, elapsis tribus diebus crisi reiterata solutum, inciderat. Suspiciari quis posset, gastritidem veram locum forte non habuisse, sed ventriculum per consensum tantum affectum fuisse, quia symptomata morbo plerumque communia, ut pulsus maxime suppressus cum frigore extremitatum, non observabantur. Interim dolores in regione ventriculi fixi, attactu aucti, cum tumore locali et vomitu post assumptum potum incedentes, nec non absentia perturbationis functionum aliarum partium, excepta modica diarrhoea, praecipue vero symptomatum biliosorum genuinorum, de morbi sede dubium vix relinquebant. Decursus igitur mali non omni ex parte consuetus in eo forte quaerendus erat, quod inflammatio locum minorem tantum in pariete ventriculi anteriori occupaverat, neque ad ganglia nervorum ipsa transiverat. Quid morbo recidivo ansam praebuerit, certo definire non ausim, sed memoratu dignum videtur, hunc citius crisi repetita solutum fuisse, quam primum. Quod vero blennorrhoeam glandis attinet, haec longiori demum post coitum tempore in conspectum forte veniebat, quia gravior morbus universalis evolutionem ejusdem impediverat.

7) *Glossitis a Stud. Med. Wolff observata.*

Catharina, puella constitutionis fortioris, vicesimum primum aetatis annum agens, XXIII. mens. Nov. anni c1810cccxx. perpresso refrigerio magno, in febrem acutam cum dolore, rubore purpureo et tumore linguae magno inciderat. Haec affectio altera die ita increverat, ut, loquela, deglutitione et respiratione maxime impeditis, ne os quidem claudere valeret aegrota. Collega conjunctissimus, cel. *Deutsch*, cujus auxilium puellae dominus efflagitaverat, tum statim venaesectionem instituere, nitrum cum saccharo praebere et collo unguentum hydrargyri cinereum cum opio et camphora inungere jussit. Die XXV. Nov. ad nosocomium deducta aegrota e strenue adhibitis remediis insigne quidem levamen jam perceperat, sed febricitans os claudere nondum poterat. Propterea omni bihorio nitri grana quinque cum saccharo commixta praebere pariter atque unguentum applicare perreximus,

et collo (quia linguae ipsi applicari aegrotata tremens recusabat) hirudines admovimus, simulque ad alvum, ab initio morbi inde constipatam, solvendam infusum Foliorum Sennae cum Natro sulphurico propinavimus. Die XXVII. Nov. febris evanuerat et inflammatio linguae ita imminuta inveniebatur, ut aegrotata os bene claudere posset; loquela simul distinctior et respiratio libera erat. Medicamenta ergo non immutavimus. Sequenti die, alvo bis soluta, deglutitio quoque sine molestia procedebat et appetitus magis vigebat, lingua vero, non nisi majori adhuc sensibilitate praedita, normali gaudebat volumine. Propterea aegrotam domum redire desiderantem dimisimus.

Epicrisis: Rarum haec historia casum glossitidis acutae refrigerio debitaefert. Momenta enim causalia alia detegi non poterant, quum linguae neque vis illata fuerit, neque affectio universalis praecesserit et catamenia quoque praegressa septimana rite apparuerint.

8) *Laryngitis a Stud. Med. Hahn observata.*

Lena, praeterito anno febre cum subsequente exanthemate a nobis tractata (vid. pag. 77) medio mense Januario anni 1810 post refrigerium tussi fortiori correpta fuerat, cui, elapsa septimana, febris cum dolore capitis, faucium et pectoris, nec non rauco insignis accesserant. Die IV. Febr. ambulans auxilium nostrum efflagitavit. Observavimus tunc pulsum valde frequentem, tussim molestantem, sputa parca sanguine tincta, sitim auctam et appetitum imminutum, respirationem vero parum impeditam. Quum in institutum tunc recipi non posset, praescripsimus: Rec. Hydrarg. mur. mit. gr. β Elaeos. Foenic. gr. x M. F. P. D. tal. dos. no. xij S. Sumatur omni bitorio dosis una, porro vesicatorium perpetuum pectori applicandum et Species pectorales pro potu, regimen simul diaphoreticum ordinantes. Die VII. ejusd. aegrotatae cum malo aucto redeunti locum in nosocomio ipso concedere non recusavimus. Febris nunc jam fortior cum pulsu parvo, maxime frequenti et anxietate incedebat, respiratio sibilans erat difficilis, sed non asthmatica, tussis clangens parum pituitae sanguineae promovens, vox obtusa et rauca, larynx et trachea dolebat, idque praecipue sub tussi et deglutitione. Admotis collo hirudinibus, hydrargyri muriatici mitis granum dimidium omni bitorio praebere continuavimus, interponentes simul salis ammoniaci solutionem cum

Oxymelle scillitico. Die IX. Febr. consumtis undecim Calomelas granis, salivatio cum vomituritione exorta erat. Hinc radicis Ipecac. scrupulum exhiberi, regioni tracheae sinapismum applicari et vapores infusi herbae Hyoscyami et florum Chamomillae inspirari iussimus. Die X. ejusdem cum perspiratione cutis aucta salivatio quidem imminuta erat, sed ceteris symptomatibus perstantibus dolores dorsi, scapularum et brachiorum adhuc accesserant. Exhibuimus nunc Kali sulphurati omni trihorio grana quinque in infuso herbae Trifol. fibr. et seminis Anisi cum Gummi arabico, sterno autem applicuimus vesicatorium majus. Die XI. Febr. post sudorem nocturnum respiratio paullo liberior erat, salivatio autem cessaverat; ceterum, licet symptomatibus pristinis extremitatum frigus adhuc accessisset, habitus aegrotae vix mutatus observabatur. Collo nunc denuo hirudines, suris vero post pediluvium tepidum sinapismos applicuimus, mixturae extracti Hyosc. granum unum pro dosi et versus noctem tincturae Opii simpl. guttas sex adjicientes. Die XIII. nocte sub sudore transacta, febris quidem et dolor localis decreverant, sed tussis cum frigore extremitatum continuabat. Praebuimus nunc Kali sulphuratum omni bihorio, interposito remedio sequenti: Rec. Extr. Trif. fibr. ʒij Aquae Foenic. ʒvjj Liqu. ammon. acet. ʒj M. S. Omni bihorio propinetur cochlear cibarium, et quum gingivae non amplius dolerent, unguentum hydrargyri cinereum loco doleuti inungere praecepimus. Sequenti nocte aegrotā sudans a tussi parum vexata dormiverat, interim die XIV. ejusdem, sudore, ut videtur, neglecto, frequentia pulsuum et tussis denuo increverant, gingivae autem rursus dolebant. Adjecimus propterea mixturae hesternae reiteratae extracti Cicutae grana duodecim, Kali sulphurati usum continuantes. Ex illo inde tempore symptomata sensim sensimque mitigabantur, simul vero molimina menstruationis iam in conspectum veniebant. Quum vero digestio adhuc valde laesa et lingua mucō tecta esset, die XVI. ejusdem Kali sulphurati dosim imminuere et sequenti die decoctum Lichenis islandici cum flavedine Cort. aur. propinare decrevimus. Die XVIII. Febr. dolor in larynge omni ex parte evanuerat, respiratio normalis, febris autem et tussis longe mitiores erant. Lente quidem nunc, sed perfecte aegrotā sub usu remediorum amarorum, viniq̄e stibiati et unguenti Tartari emetici sterno

innacti convaluit, quamquam catamena ex aliquot mensibus jam suppressa non apparerent. Dimisimus eam die I. mensis Mart. sanata.

Epicrisis: Inflammatio haec laryngis et tracheae primo stadio haud dubie citius vinci potuisset, si remedia apta in promptu fuissent; neglecta vero naturam chronicam nacta erat, et pertinaciter restitit ita, ut phthisin trachealem timere oporteret. Interim cum constantia adhibitis remediis post quatuor fere septimanas feliciter superabatur, quo facto et molestiae in partibus affectis adhuc relictae sensim sensimque disperebant.

9) *Metritis post abortum observata a Stud. Med. (nunc Med. pract.) a Dehn.*

Christina, puella constitutionis sensibilioris, vicesimum quintum aetatis annum agens, quae anno praeterito syphilitide cum exstasi et convulsionibus in instituto nostro feliciter tractata fuerat, altera vice die VII. mens. Maji anni 1810ccccxix. huc rediit. Ex duobus fere mensibus gravida febre catarrhali cum angina laboraverat, tum, ineunte mense ex alto in terram delapsa, dolore abdominis et horrore correpta abortum perpessa erat. Subsequens sanguinis profluvium post duos dies cessaverat, dolores abdominis vero increverant et febris quavis die versus vesperam cum horrore, aestu et sudore redierat. Quum nosocomio reciperetur, facies erat lurida, oculus languens, pulsus frequens et parvus, respiratio accelerata, sitis magna, lingua sicca, appetitus deletus, alvus ex tribus diebus constipata, abdomen tumidum et, praecipue in regione pubis, sub attactu dolens, excretio sanguinis e vagina parca, urinae vero cum ardore conjuncta. Applicito clysmate emolliente praescripsimus: Rec. Hydragyri muriatici mitis gr. j Elaeos. Anisi gr. x M. F. P. D. tal. dos. xij S. Omni bihorio sumatur dosis una, et: Rec. Rad. Valer. $\mathfrak{z}\beta$ Infund. Aqu. font. ebull. q. s. Col. $\mathfrak{z}\text{viii}$ add. Extr. Hyosc. gr. viii Gum. arab. Sacch. albi $\mathfrak{z}\beta$ Spir. sulph. aeth. $\mathfrak{z}\beta$ M. S. Sumatur alternis vicibus cum pulveribus omni bihorio cochlear cibarium. Eodem tempore abdomen linimento volatili camphorato inungere eique fomentationes ex herba Hyosc. et floribus Chamom. imponere jussimus. Superata exacerbatione febris vespertina fortiori cum horrore, respiratione maxime inaequali, pulsu frequentissimo, aestu et sudore, aegrotata noctem satis tranquille transigebat et altera die mane alvum

rite deponere. Febris nunc maxime mitigabatur et die IX. Maji (morbi fere septima) cum dolore in regione pubis cessante pulsus fere normalis inveniebatur. Interim aegrotata de dolore in regione lumbali dextra et gingivis querebatur cum retentione urinae, quae post meridiem cum diarrhoea superveniente cessabat. Hinc, omisso mercurii usu, non nisi mixturam memoratam propinavimus, additis versus noctem tincturae thebaicae guttis octo. Die X. Maji diarrhoea copiosa absque dolore cum febre vespertina leviori continuabat. Praescripsimus propterea tincturae Valerianae dimidiam unciam et tincturae Opii simpl. drachmam dimidiam, ut omni bithorio guttas triginta sumeret aegrotata. Die XI. ejusd. diarrhoea maxima ex parte superata, appetitus redire incipiebat, gravitas capitis autem cum lassitudine magna continuabat. Praebuimus nunc ad juvandam reproductionem et tollendam febriculam subintermittentem solutionem extracti Trifolii fibrini in aqua communi cum spiritu sulphurico-aethereo. Interim aegrotata die XII. Maji, quod nimium cibi, uti videtur, praegressa die assunserat, de amaritie oris querens sponte vomebat, quare, decem granis Ipecacuanhae exhibitis, ulteriorem evacuationem sordium gastricarum promovere non dubitavimus, quo facto proximis diebus sub usu remedii amari continuato febris omni ex parte cessabat, et vires corporis incresebant ita, ut die XIX. Maji puella sanata dimitti posset.

Epicrisis: Febris gravior cum metritide incidens die septima superabatur, relicta tamen febre leviori fere intermittente cum diarrhoea. Hanc diarrhoeam quamvis ex parte pro critica habere potuerimus, nihilominus, quod vires nimis exhaurire videbatur, compescere non dubitavimus, idque non sine successu.

10) *Myelitis a Stud. Med. Werther observata.*

Ivan, puer robustus nationis rossicae quindecim annorum, post refrigerium et concussionem sub lapsu ante duas septimanas doloribus dorsi, cervicis et pectoris correptus fuerat cum difficultate manducandi et deglutiendi. Postquam per septimanam cum molestia officio agasonis adhuc functus erat, doloribus pedum, lassitudine et febre cubile petere coactus, epistaxi repetita vexatus, ante paucos dies lapsu ex alto in terram contusionem capitis cum

profluvio sanguinis e vulnere satis magno levamen dolorum priorum afferente, contraxerat. Die XI. mens. Dec. anni dcccxxx. quo nosocomio receptus erat, pulsum duriusculum, sed parum acceleratum et calorem vix auctum invenimus. Interim aegrotus de dolore pectoris periodico querebatur, quocum truncus spastice, ut in opisthotono, resupinabatur ita, ut capite et brachiis retortis, pedibusque rigidis, pectus et collum elevarentur et maxillae trismo clauderentur. Tales accessus per breve tempus continuantes aliquoties per horam cum distorsione oris redibant. In intervallis respiratio observabatur libera, os vero maxima ex parte clausum verba distincte pronunciare et rigiditas pedum iisdem insistere non permittebat. Lingua purpurea, tumens, in margine excoriata, cavitas oris levi rubore inducta et deglutitio difficilis erat. Ceterum appetitus vigeat, alvus autem ex duobus diebus fuerat constipata. Diagnosi nondum satis confirmata et jactura sanguinis ultimis diebus sat magna praegressa, primo, inflammationis linguae apertae causa, non nisi hirudines collo applicuimus, tum ad tollendam alvi constipationem infusum foliorum Sennae cum Nitro cochlearum sumendum praescripsimus, tandem vero ad mitigandos spasmos diaphragma, ut videbatur, praecipue infestantes cataplasmata ex avena excorticata et floribus Chamomillae dorso et lateribus imponere jussimus. Die XII. Dec. nocte sub doloribus periodicis crebris et motibus febrilibus cum levi perspiratione cutis male transacta, aegrotus, alvo soluta, mane somno paullo reficiebatur, ceterum in priori statu versari pergebat. Die XIII. ejusdem, nocte rursus sub cruciatu transacta, repetito examine dolores e spina dorsii progredi, versus scrobiculum cordis lancinare et tandem per thoracem et cervicem propagari comperimus. Quum aegrotus, pedibus rigidis in dorso jacens, corpus invertere non posset, inflammationem serosam, suppressae perspirationi cutis debitam, membranas medullae spinalis corripuisse dubitare non amplius potuimus, quamquam e relatione confusa illius, utrum fauces et lingua an dorsum primo affecta fuerint, extorquere nobis non contingeret. Praescripsimus propterea: Rec. Rad. Salep \mathfrak{z} Coqu. in Aqu. font. q. s. Col. \mathfrak{z} vi add. Kali nitrici \mathfrak{z} β S. Osmo Liborio sumatur cochlear majus, et: Rec. Hydrarg. mur. mit. gr. j Elaeos. Foenic. gr. x M. F. P. D. tal. dos. no. vj S. Praebatur ter per diem dosis una, dorso

autem in regione vertebrarum lumbalium hirudines et genibus sinapismos applicuimus, posthaec cataplasmatum usum continuantes. Versus vesperam febricula cum levi sudore denuo exacerbata erat et noctu dolores spastici perseverabant. Die XIV. Dec. autem accessus paullo rariores et linguae fauciumque dolores imminuti erant. Praescripsimus nunc: Rec. Extracti Hyosc. gr. vj solv. in Aquae Menth. pip. ℥vj add. Liq. ammon. acet. ℥β S. Sumatur omni bitorio cochlear unum, et: Rec. Hydrarg. mur. mit. gr. β Sacch. albi gr. x M. F. P. D. tal. dos. xij S. Alternis vicibus cum mixtura praebeatur dosis una, perspirationem balneo tepido cum Kali sulphurato et potu ex infuso florum Tiliae praeparato adjuvantes. Quibus remediis quum vespertino tempore sudor copiosus provocatus fuisset, nox longe tranquillius superabatur et die XV. Dec. non solum angina atque glossitis decreverant, sed affectus spastici quoque rariores et longe mitiores erant. Hinc usum remedium continuavimus, addito tantum cuius dosi hydrargyri radice Ipecacuanhae grani quadrante. Die XVI. ejusdem post noctem quietam parvum tantummodo aegrotus spasmi vexabatur ita, ut corpus bene jam in omnes partes invertere posset, lingua autem excoxiata valde adhuc dolebat. Quum hydrargyrum muriaticum alvum laxare coepisset, mixturae extracti Hyoscyami loco Tincturae Opii guttas viginti quatuor addere, ceterum in omnibus pergere decrevimus, cataplasmatum usum interim omitentes et linguam excoxiatam cum melle rosarum et Borace veneta illinere jubentes. Die XVII. Dec. quo dolores dorsi, cervicis et pectoris omni ex parte evanuerant, gingivae mercurii usu affectae erant. Hinc loco ejusdem Kali sulphurati grana quinque ter per diem mixturae priori interponere non dubitavimus. Ex illo inde tempore aegrotus a febre quoque liberatus sub usu Kali sulphurati continuato et extracti Cascarillae in Aqua Menth. pip. soluti cum Liquore ammonii aceticum magis magisque convaleuit ita, ut die XXIII. Dec. lectum relinquere posset. Interim furunculis in pedibus nunc vexatum per aliquot tempus in instituto adhuc retinimus, donec sub finem mensis omni ex parte sanatus dimitti posset.

Epicrisis: Utrum malum lapsui potius an refrigerio tribuendum fuerit, affirmare vix ausim, quia aegrotus in relatione sibi parum constabat. Interim inflammatio oris jam ab initio morbi conspicua, momentum causale ultimum

praecipue vim exseruisse, docebat, quod lentior quoque morbi trium septimanarum spatio demum finiti decursus confirmabat. Ceterum symptomata satis magnam ostendebant similitudinem cum tetano traumatico ita, ut ipse sententiam eorum, qui hunc inflammationi medullae spinalis deberi contendunt, amplecterer, nisi nuper duobus casibus in instituto clinico chirurgico observatis aliter edoctus essem. Accidit ibi nimirum, ut aegrotus alter e manus, alter e pedis vulnere tetano succumberet. In illo, largissimis venaesectionibus et mercurii dulcis dosibus adhibitis, malum intra tres dies, in altero, Opio et Moscho praecipue in auxilium vocatis, intra septimanam morte fiebat. In utroque autem, sectione a Professore Chirurgiae, collega conjunctissimo *Moier*, diligentissime instituta, myelitis vestigium nullum reperiebatur.

tt) Ischias nervosa cum erysipelate faciei a Stud. Med. (nunc Med. pract.) Herrmann, Curono, observata.

Jukkum, rusticus esthonicus sexaginta annorum, constitutionis fortioris, ad institutum nostrum die XV. mens. Decembris anni 1810ccccviii. accedens, ante quatuor fere hebdomades, negotiis consuetis occupatus, vehementibus doloribus coxendicis sinistrae correptus fuerat. Malum per septimanam increscens, externam et posteriorem cruris praecipue partem occupans et ad suram usque descendens, aegrotum die et nocte cruciaverat, tum paullo mitigatum eundem saltem perpetuo lecto affixerat, donec nosocomio traderetur. Hic exploratione instituta totum pedem dolentem, inflexum et fere immobilem invenimus. Extensio dolorem in decursu nervi ischiadici maxime exasperabat, et vis infracta eidem insistere non permittebat. Ceterum omnes functiones ex ordine procedebant et arteriae rite micabant. Malum ex inflammatione vaginae nervi ischiadici originem ducere non dubitantes primo balneum tepidum instituere, post quater per diem hydrargyri muriatici mitis granum unum exhibere, die altera autem vesicatorium externo lateri cruris sub fibulae capitulo superiori applicare simulque potum ex infuso radicis *Arnicae* et *Graminis* propinare iussimus. Sequentibus diebus aegrotus levamen dolorum percipiens pedem liberius movere valuit. De incipiente jam exsudatione serosa in vagina nervi ischiadici non dubitantes quater per diem

nunc Digitalis purpureae granum integrum cum Hydrargyri muriatici mitis grano dimidio praebere, pedem ipsum oleo Terebinthinae inungi et trochanteri majori vesicatorium applicari curavimus. Die XXII. Dec. qua salivationis prodromi apparebant, omisso mercurii usu, sequentem concinnavimus formulam: Rec. Extr. Absinth. ʒij Extr. Aconiti ʒj Hb Digit. purp. Sulphuris stibiati aur. ʒā ʒβ Pulv. resin. Guaj. ʒβ M. F. Pil. pond. gr. ʒj S. Sumantur quater per diem pilulae sex. Die sequenti aegrotus, postquam noctu prima vice somno quieto fructus fuerat, pedi affecto-insistere coepit. Die XXIV. Dec. autem de dolore capitis in latere dextro, absque momento causali externo invadente, querebatur. Fugatis jam salivationis prodromis, pilulas memoratas nunc tribus tantum vicibus per diem, ad noctem vero pulverem Digitalis purpureae et Calomelas granum unum continentem praebere jussimus. Die XXV. ejusdem sub motibus febrilibus, cum horrore et aestu praegressa die ad vesperam exortis, dolor auctus in regione parotidis sedem fixerat, simulque appetitus deletus et alvus constipata erat. Nihilominus, applicato clysmate, in usu remediorum perseveravimus. Die XXVI. Dec. in parotide tumida pullulabat inflammatio erysipelatosae et febris aucta cum lassitudine magna, pulsu frequenti parvo, respiratione brevi et lingua sicca incedebat; dolores in pede contra fere evanuerant. Hinc, morbi facie mutata, praescripsimus: Rec. Rad. Valerianae et Rad. Arnicae ʒā ʒβ M. Inf. Aqu. ebull. q. s. Colat. ʒvjij add. Spir. sulph. aeth. ʒj S. Omni bitorio propinetur cochlear majus, et: Rec. Camph. gr. j. Sacch. albi gr. x. M. F. P. D. tal. dos. xij S. Alternis vicibus cum mixtura exhibeatur dosis una, tumorem tegentes sacculo tepido. Die XXVII. Dec. tumor cum febre increverat ita, ut maxillarum motus et deglutitio impedirentur, inflammatio autem erysipelatosae dimidiam faciem occupabat. Continuavimus propterea remediorum usum potui infusum Menthae pip. et florum Tiliae destilantes. Die XXVIII. ejusd. erysipelate latius diffuso, parotis ipsa inflammatione liberata esse videbatur. Nihilominus febris cum pulsu frequenti et parvo, lingua arida, siti magna, excretionem alvi rara, insomnia, doloreque capitis gravi saevire pergebat, et die sequenti vel delitiae accedebant. Praescripsimus nunc: Rec. Rad. Calarom. et Rad. Serp. virg. ʒā ʒβ Inf. Aqu. font. ebull. q. s. Col. ʒvjij add.

Liqu. anod. m. Hoffm. ʒjʒ S. Omni bitorio propinquetur alternis vicibus cum camphora cochlear unum. Die XXX. Dec. post noctem paullo tranquilliozem erysipelas primum locum sensim relinquens oppositam praecipue capitis partem occupaverat, pulsus autem interdum intermittebat. Quum Camphoram in forma pulveris ob siccitatem oris jam aegre deglutiret noster, eandem cum Gummi arabico in forma julapii exhibuimus, et, alvo clysmate soluta, suris sinapismos applicuimus. Die XXXI. Dec. post somnum satis quietum cum perspiratione cutis aucta, febris et inflammatio erysipelatosa decreverant, et respiratio pariter atque alvus erant liberae. Die I. Januarii anni 1806cccxix. sub leni sudore cutis desquamari incipiebat. Ex illo inde tempore symptomata omnia magis magisque imminuebantur et die IV. ejusd. tumore faciei dissipato, vel appetitus redibat. Die VI. Januarii, febre omni ex parte finita, perspiratione vero continuante, convalescentiae stadium aegrotus ingredi videbatur. Remediis prioribus ex ultimis diebus jam parcius exhibitis, nunc vero plane sepositis, tincturam Absinthii compositam substituere non dubitavimus. Interim die VII. Jan. in utraque coxa circa trochanteres majores cum dolore femoris sinistri ex parte recrudescente erysipelas novum, sed absque febre, in conspectum veniebat, quod septem diebus elapsis, sub usu remedii amari interno et olei Terebinthinae externo, ne progressum convalescentiae quidem impediens, cum affectione articuli dolorosa rursus evanescebat. Viribus tandem plane restitutis, die XIX. Jan. aegrotus omni ex parte sanatus e nosocomio dimittebatur.

Epicrisis: Historia morbi enarrata propterea memoratu digna est, quod malum ischiadicum, sexta fere septimana metastasi ad parotidem dextram translatum, sub gravi febre erysipelate faciei finiebatur, et tandem paullo recrudescens inflammatione in coxis exstinguebatur. Si erysipelas retrogradum non raro cerebrum et nervos infestat, hic vice versa affectio nervorum in erysipelas transit, quod naturam mali ischiadici inflammatoriam et affinitatem inflammationis serosae et erysipelatosae confirmat. In illa, praecipue si nervorum vaginas tangit, hydrargyrum muriaticum mite omnibus aliis medicamentis palmam praeripere, coxarum dolori subjectus ipse expertus sum; his enim hoc malo majori in gradu, post vero aliquoties minori correptus

fui. Prima vice, non longo tempore post adventum in urbe Casani, climati rossico nondum adsuetus, hieme anni 1806cccx. per refrigerium in id incidi, sed brevi majoribus molestiis liberatus officiis fungi perrexi, donec, post balneum frigidum mense Majo sequentis anni tentatum, cruciatus fortiores et longiores redirent. Interim sub usu remediorum diaphoreticorum et derivantium nec non regimine apto, molestiae, excepta magna debilitate pedis cum aucta sensibilitate, denuo cessarunt. Vere autem anni 1806cccxii. pedibus humiditati expositis, malum gravius recrudit, et per duos menses, incassum remediis antarthriticis et opio in auxilium vocatis, saevire perrexit, aestatis autem tempore mitigatum debilitatem et marcorem pedis insignem cum doloribus lenioribus decursum nervi ischiadici sequentibus, motu et tempestatis vicissitudine auctis, induxit. Aquarum quidem mineralium sulphuratorum Sergiewskensium usu per sex septimanas continuato, nec non frictionibus pedis cum oleo pini et tegumentis lanæ, totum corpus involventibus, sub finem anni restitutus eram, sed nihilo tamen secius sequentibus quoque annis malum redire coepit. Jam vero naturam ejus accuratius cognoscens, statim ad usum mercurii dulcis confugiens, remediis aliis pertinaciter resistens istud tuto intra aliquod dies semper compescui et ex tribus annis radicitus evulsi. Simili hujus remedii effectu in aliis quoque casibus observato, ipsum aegroti supra memorato etiam ab initio exhibere non dubitavi, idque non sine successu; levamen enim brevi non spernendum attulit. Quum vero morbus metaschematismo in parotitidem et erysipelas faciei cum gravi febre converteretur, methodum antiphlogisticam, quam alii forte in auxilium vocassent, aegroti habitum morbi que symptomata ante oculos habens et venæsectiones tali in statu vires perficiendae crisi necessarias facile infringere experientia edoctus, admittere non ausus sum. Successus expectationi nostrae bene respondit; ineunte enim septimana altera febris lysi mitigabatur et tertia omni ex parte superata fuit, quamquam processus inflammatorius vegetationi perfecte ad tramitem reducendae necessarius, convalescentia indies progrediente, in alio loco per septem dies adhuc continuaret.

d) P h t h i s e s.

c) *Phthisis tuberculosa a Stud. Med. (nunc Med. pract.) Hartung et Stud. Med. de Wagner observata.*

Jacobus, miles dimissus triginta annorum, macilenti habitus, ante triennium castrá sequens catarrhum pertinacem contraxerat; ante annum cum dimidio sanguinem exscreaverat et sex mensibus post in febrem intermittentem per tres menses continuatam inciderat. Die XI. mensis Septembris anni cldcccxxviii. instituto nostro receptus tussi fortiori, praecipue mane, cum sputis pituitosis copiosis sanguine tinctis, doloribus pectoris, asthmate, lassitudine et febre lenta laborabat, digestionem ceterum vix laesa. Hinc quater per diem seminis Phellandrii aquatici grana decem cum saccharo et species pectorales pro potu praebere, die altera autem infusum unciarum octo ex herbae Digitalis purpureae drachma dimidia et radicis Althaeae uncia una paratum cochleatim interponere et pediluvia tepida praeparare jussimus, medio pectori vesicatorium applicantes. Molestiis posteris diebus sensim mitigatis, extracti Marrubii unciam dimidiam in aquae Foeniculi uncis octo solutam omni bihorio sumendam praescripsimus, cujus dosi singulae, diarrhoeae supervenientis causa, XVII. die Sept. tincturae thebaicae guttae duae adjicebantur. Elapso biduo, quam alvi profluvium cessasset, Opii usum omisimus, pro potu decoctum Lichenis islandici propinavimus et die XX. Sept. extracto Marrubii extractum Trifolii fibrini substituímus. Tussi et febre ex illo inde tempore magis magisque evanescentibus die XXVIII. ejusdem, quod ipse ardentem desiderabat, e nosocomio cum pulveribus e decem granis Myrrhae totidemque sacchari compositis, domi mane et vesperi sumendis, dimittebatur. Brevi post, eum matrimonium inisse, comperimus, quo facto, quod praevideramus, accidit. Vernali enim tempore sequentis anni malo pristino recrudescente denuo vexatus ad scholam clinicam rediit. Nihilominus et nunc tam tussi cum sputis cruentis, quam febre cum doloribus pectoris incedente, praecipue sub usu plumbi acetici, cujus primo granum dimidium, post integrum mane et vesperi exhibebatur, per aliquot hebdomades continuato, liberabatur ita, ut denuo, licet asthmaticus, ad negotia sua redire posset.

Insequenti tamen hyeme malum denuo increverat, ideoque die XXII. mens. Febr. c180ccxx. iterum nosocomio excipiebatur. Asthma cum doloribus in medio pectore jam ad majorem gradum pervenerat, et tussis cum sputis globosis salsis, in aqua subsidentibus, praecipue noctis tempore aegrotum vehementer vexabat. Ceterum febre lenta cum sudore nocturno emaciatus appetitu carebat et alvum raro deponebat. Tuberculis ex parte suppuratis nostrum laborare non dubitantes ad debellandum malum locale seminis Phellandrii aquatici grana decem, quotidie quater sumenda, et decoctum Lichenis islandici, adjecta radice Polygalae amarae, potus loco adhibendum, ad mitigandam vero tussim molestam Laudani liquidi Sydenhami drachmam cum syrupi Althaeae uncia commixtam, versus noctem per cochlear caldarium propinandam, praescripsimus, pectori ipsi setaceum applicantes. Sub usu horum remediorum febris altera septimana cessare videbatur et in decursu mensis Martii cetera quoque symptomata sensim magis magisque decrecebant. Ineunte vero mense Aprili cum doloribus sub sterno pungentibus et asthmate aucto sputa sanguinea in conspectum veniebant. Quae quum inflammationem tuberculis denuo supervenisse docerent, praeter decoctum Lichenis islandici cum radice Liquir. et semine Foenic. quotidie versus vesperam non nisi Calomelas et radicis Ipecacuanhae granum unum praebere jussimus. Elapsis tribus diebus symptomata inflammationis cessaverant et sputa copiosius excernebantur, digestio autem laesa, lingua mucosae tecta et alvus constipata erant. Hinc a die V. April. infusum Foliorum Seunae cum extracto amaro cochlearum praebere decrevimus. Alvo satis purgata et appetitu redeunte ad restituendam omni ex parte digestionem VIII. die Aprilis extractum Trifolii fibrini in Aqua Menthae solutum exhibere coepimus, quo facto sequentibus diebus jam omnia ad tramitem justum reduci et respirationis quoque molestiae mitigari videbantur. Nihilominus die XXI. April. post noctem sub anxietate, tussi et doloribus pectoris auctis transactam, sputa purulenta, sanguine partim coagulato partim fluido commixta, largius excreta fuerant ita, ut de tuberculis suppuratis denuo sese evacuanti- bus dubitare non possemus. Ad compescendum statum inflammatorium, jam motibus febrilibus se exerentem, venaesectionem in brachio, qua sanguinis

unciae quatuor detrahebantur, instituere non dubitavimus. Successus expectationi respondebat; altera enim die, doloribus valde mitigatis, sputa minori cum molestia et absque sanguine excernebantur, febris autem vespertino tempore cum calore in volis manuum et plantis pedum incedens continuabat. Hinc, praeter mixturam anaram quotidie ter propinatam, Plumbi acetici quadrantem grani cum saccharo mane et vesperi praebere decrevimus, quo facto, ineunte mense Majo febre suppressa, sputa jam parciora rejiciebantur. Interim die VIII. ejusdem mensis, doloribus pectoris recrudescens cum tussi fortiori denuo pus sanguinolentum excernebatur; quare, omissis prioribus remediis, herbae Digitalis purpureae granum cum Elaeosaccharo anisi ter per diem sumendum praescripsimus. Ex illo inde tempore, symptomatibus morbi magis magisque mitigatis et viribus maxima ex parte restitutis, aegrotus post medium mensem Majum e voto suo domum dimittebatur, ut setaceum adhuc suppurare curaret admonitus. Sequenti tempore, aliquoties ambulans ad nos rursus accedens, decoctum Lichenis islandici adhuc accipiens magis magisque convaleuit.

Epicrisis: Ad symptomata catarrhalia sub ortu morbi respiciens quis phthisin non nisi pituitosam faciliorem sanatu hic subsuisse credere posset, sed minus recte. Asthma enim in decursu accedens, dolores pungentes reiterati, sputa purulenta cum sanguine periodice in conspectum venientia et excretio pituitae non nimis profusa, in hoc aegroto tubercula sub inflammatione lenta in pus conversa et per accessus cum anxietate et febre aucta evacuata fuisse, in dubium vix vocabitur. Ceterum, quanquam radicatus nostrum sanatum praedicare non possimus, repetitis tamen vicibus progressum mali compescere nobis contigit ita, ut levatus ad negotia sua redire posset. Quem quidem successum, remediis antiphlogisticis et derivantibus non neglectis, plumbo acetico et Digitali purpureae in primis tribuendum fuisse, certissime mihi persuasum est.

2) *Phthisis exulcerata, post abortum subito lethalis, observata a Stud. Med. (nunc Med. pract.) Hinsch.*

Magdalena, femina triginta annorum plebeja, potui et lasciviae dedita, die XIV. Sept. anni 1800ccxviii. versus meridiem abortum paucis horis ante

perpressa scholae clinicae tradebatur. Embryo allatus nudus tertii mensis esse videbatur et expulsionem ejus larga haemorrhagia secuta erat. Aegrotata ipsa maxime exhausta, de gravi dolore pectoris quereas, pulsum frequentem minimum, respirationem anxiam, valde acceleratam, et extremitates frigidas offerebat, profluvio sanguinis ceterum mitigato. Historiam morbi praegressi plane ignorantibus ad sustentandas vires praescripsimus: Rec. Tincturae Cinnamomi ʒijj Spir. sulph. aeth. ʒj M. S. Praebentur omni hora guttae quadraginta. Nihilominus, vigore vitali magis magisque evanescente et anxietate incremente, versus noctem sub sudore frigido et stertore misera jam exspirabat. Post mortem a cognatis defunctae audivimus, eandem saepius ulceribus externis, quae unguento quodam albo, e cerussa, quod credimus, composito, exsiccare solebat, et affectionibus pectoris, cui die penultima haemorrhagia pulmonum accesserat, subjectam fuisse. Hinc, desorganisationes in organis respirationis jam dudum locum habuisse persuasi, sequenti die inspectionem cadaveris instituvimus, qua in pedibus plures cicatrices ex ulceribus relictas, pulmones vero ubique thoraci et diaphragmati accretos invenimus. In latere sinistro intra pulmonem et thoracem multum humoris purulenti collectum, et pulmo ipse in hoc loco membranis spuris tectus, in aliis sero compressus, partim inflammatus, partim exulceratione corruptus reperiebatur. Cor laxum et viscera abdominis integra, sed pallida, uterus vero placentam atque tunicas foetus adhuc continens mole sanguinis coagulati repletus, convenienti modo emollitus et spongiosus erat, orificium valde dilatatum ostendens.

Epicrisis: Ex hisce phaenomenis pulmones repetita vice inflammatione correptos et inde varia ratione tum concretionem et effusionem, cum destructione et suppuratione depravatos fuisse colligere licet. Quae quidem corruptio secretioni innormali in ulceribus suppressae, nisi omnino, fortasse tamen magna ex parte originem debuit. Tandem vero pneumonia denuo accedens abortui locum praebuisse videtur, qui, viribus nimio sanguinis profluvio exhaustis, brevi mortem adduxit.

3) *Phthisis pituitosa a Stud. (nunc Doct.) Med. Walter observata.*

Sophia, ancilla robustae constitutionis, habitus phthisici experta, vicesimum nonum aetatis annum agens, e longiori tempore post refrigerium ap-

petitu imminuto, doloribus capitis, gravedine et tussi humida laboraverat, cui febris, vesperi cum frigore incipiens et noctu calore finiens, nec non dolores pectoris pungentes vagi cum asthmate ac sputis puriformibus copiosioribus accesserant. Malum increscens die XIV. mensis Aprilis anni dclcccxxviii. aegrotam ad scholam clinicam confugere commoverat, in quam recepta, vesicatorio pectori imposito, primo Salis ammoniaci drachmas duas in aquae Florum Sambuci unciis octo solutas cum Succo Liquiritiae cochleatim sumendas, nec non Lichenem islandicum cum radice Polygalae amarae pro potu accepit. Sequentibus diebus, quum digestio magis laesa esset et excretio pituitae tenacis, asthmate aucto, difficiliter subsequeretur, die XVIII. mensis Aprilis radicis Ipecacuanhae grana XV. praebere non dubitavimus. Vomitu ter subsecuto, respiratio liberior et excretio facilius reddebatur. Quum vero pituita denuo accumularetur, die XX. mens. Aprilis: Rec. Rad. Senegae ʒij Coqu. in Aqu. font. q. s. Col. ʒviii add. Extr. Trifol. fibr. ʒβ Vini ant. Huxh. ʒij M. S. Omni bitorio propinetur cochlear unum, praescripsimus, simulque pectori vesicatorium perpetuum applicuimus, in brachio dextro autem, quum pulmo in hoc latere magis affectus esse videretur, fonticulum aperuimus. Nihilominus tussis cum febre incresebat. Dolores pungentes frequentius sese exserentes die XXI. April. hydrargyri muriatici mitis granum dimidium, interposito decocto Lichenis islandici cum extracto Hyoscyami, exhibere, potui vero oxymel simplex cum aqua commixtum destinare nos commoverunt. Die sequenti, febre non mitigata et pulsu vel tempore remissionis centum duabus vicibus micante, Hyoscyamo Digitalem praeferre placuit. Hinc Rec. Lich. island. ʒj Rad. Polyg. amarae ʒβ Coqu. in Aqu. font. q. s. Sub finem Coct. adde Hb Digital. purp. gr. xvj Col. ʒviii admisc. Ol. anisi gutt. ij S. Omni bitorio praebatur cochlear unum, praescripsimus, quo facto tussis mitigabatur et, triduo elapso, non nisi octoginta quatuor pulsus numerabantur. Mixturae reiteratae jam herbae Digitalis purp. grana viginti quatuor addere, mane et vesperi autem seminis Phellandrii aquatici grana decem exhibere decrevimus. Sub usu horum remediorum digestio restaurari et secretio pulmonum cum febre magis magisque imminui pergebat ita, ut die XXVI. April. frequentia pulsuum horis matutinis ad sexa-

ginta sex ictus redacta esset, et vespertinis parum increverat. Herbae Digitalis quantitate ad drachnam dimidiam aucta, jam sputa imminuta ad spectum pituitae communis ostendebant, symptomata febrilia autem cum appetitu restituto omni ex parte evanescebant. Interim frequentia pulsuum sub usu continuato remediorum memoratorum diebus mensis ultimis ad quadraginta octo ictus imminuta, cum dolore capitis premente et stupore quodam incodens, ab usu herbae Digitalis nunc abstinendum esse monebat. Hinc a I. mens. Maji decoctum radicis Polygalae amarae cum extracto Trifol. fibrini et liquore Ammonii anisato quater per diem, mane et vesperi autem Myrrhae grana quinque et seminis Phellandrii grana decem praebere decrevimus, foniculo in brachio adhuc sustentato. Ex illo inde tempore aegrotata ita convaluit, ut die X. Maji sanata dimitti posset. — Elapsis quatuor mensibus bene nutrita ambulans ad institutum nostrum rediit de dolore pectoris premente absque tussi et oedemate pedum querens. Quum catamenia e duobus mensibus retenta esse referret, instituta venaesectio, de novo herbam Digitalis purpureae praescripsimus ita, ut granum singulum cum Tartari depurati granis decem quotidie quaternis vicibus in pulveris forma sumeret, quo facto post septimanam in integrum restituta erat.

Epicrisis: Quamquam sputa nostrae aegrotatae ab initio puris faciem praese ferebant, partim tamen constitutio corporis ejus, partim decursus morbi non nisi phthisi pituitosa eam laborasse luculenter docuerunt. Successum curae felicem praecipue Digitali purpureae debuimus et certissime nobis experientia edoctis persuasum est, hoc remedium in similibus casibus non solum ad mitigandam febrem, sed etiam ad radicibus evellendum malum praeceteris bene conducere. Sed, quod dolendum, istud non semper ab aliis aegrotis aequae bene ac a nostra perfertur, quae sub usu ejus bene digerebat et non nisi pulsuum frequentia maxime imminuta affectiones sensorii percepit.

4) *Phthisis purulenta a Stud. Med. (nunc Med. pract.) de Baehr, Doct. Hasenwinkel et Stud. Med. Henning observata.*

Maria Rath, vidua triginta septem annorum, habitus phthisici, quae in matrimonio adhuc vivens plures infantes pepererat, mense Aprilis anni

cDlcccxcix. per refrigerium et aerumnas febrem cum dyspnoea, dolore pectoris, tussi, palpitatione cordis, angina et dysphagia contraxerat. Superata febre molestiae respirationis cum tussi humida, sensu compressionis in gula, raucedine et sapore oris amaro continuaverant. Ad tollenda symptomata ultimo loco nominata aegrotata aliquoties vomitoria, sed absque levamine constanti assumserat, per totam potius aestatem molestiis suis nunc magis nunc minus vexata, digestionem laesa, insomnia, sudore nocturno et profusa, tertia quavis septimana redeunte menstruatione magis magisque exhausta fuerat. Sic mense Aug. ejusdem anni ambulans auxilium nostrum efflagitavit. Praescripsimus tunc febris lentae et tussis fortioris causa nunc Lichenem islandicum, nunc semen Phellandrii aquatici, nunc Digitalem purpuream, nunc syrupum cum Opio versus noctem sumendum, ad emendandam digestionem radicem Rhei cum flavedine Cort. aurantium vel nucis moschatae interponentes. Quamquam vero aegrotata ex usu horum remediorum levamen perciperet, debilitas tamen increvit ita, ut die XII. Oct. nosocomio ipso eam recipere non dubitarem. Febris tunc mitigata erat, tussis autem cum sputis purulentis globosis, in vase aqua repleto fundum petentibus, dolor in latere sinistro sub inspiratione auctus et impedimentum in gula, a corpore quasi peregrino productum, quod repetita deglutitione incassum remove studebat, quamquam oculis tale quid detegi non posset nutrimenta quoque rite assumerentur, perpetuo eam vexavit. Impedimenti illius sedem in fovea supra manubrium sterni designavit, de doloribus capitis per accessus redeuntibus, frequenti salivae confluxu in ore, nausea cum vomitione subito saepe exorta, doloribus dorsi vagis et insomnia querens. Ceterum ventriculi regio sub tactu dolebat, appetitus erat imminutus, lingua vero pura et excretio urinae atque alvi rite absoluebatur; noctu aegrotata multum sudabat. Ex symptomatibus nostram phthisi purulenta laborare certo colligi licuit; unde vero molestia in gula, nausea frequens et salivae confluxus in ore, absque sordium gastricarum signis, originem ducerent, detegere non potuimus, interim sensus molestus in gula constans, neque loquelam neque deglutitionem nutrimentorum impediens, praecipue vitio organico quodam abscondito, per consensum motus spasmodicos excitante, produci videbatur. Hinc ad juvandam

reproductionem primo sequens remedium praescripsimus: Rec. Cort. aur. $\mathfrak{3}\mathfrak{ss}$ Inf. Aqu. ebull. q. s. Col. $\mathfrak{z}\mathfrak{v}\mathfrak{i}\mathfrak{i}\mathfrak{i}$ add. TR Opii simpl. $\mathfrak{D}\mathfrak{i}$ Gummi arab. $\mathfrak{3}\mathfrak{i}\mathfrak{i}$ M. S. Sumatur omni bihorio cochlear cibarium. Tum ventriculo Oleum Carvi inungere, pectori vesicatorium magnum imponere et potus loco decoctum Lichenis islandici, addito semine Foeniculi, propinare jussimus. Sub usu horum remediorum aegrota levamen dolorum et tussis quidem sensit, sed alvus brevi constipari coepit. Hinc a XIV. die Oct. loco tincturae thebaicae extracti Hyoscyami grana sex mixturae adjecimus et accedente nausea pulverem ex acido Tartari, Magnesia alba et Saccharo compositum sumere praecipimus. Quum vero molestiae memoratae perstarent, die XVI. ejusd. mane et vesperi pilulas ex Asae foetidae et extracti Trifolii fibrini partibus aequalibus praeparatas addere decrevimus, quo facto aegrota, nausea rarius vexata, appetitu meliori gaudere coepit. Jam pulmonum vitia directe debellare decrevimus, ideoque, inflammationis signis non obviis, a die XX. inde mens. Oct. fumigationes a cel. *Crichton* commendatas e pice fluida, adjecto Kali carbonico, instituimus, quas aegrota cum voluptate perferebat. Die XXII. ejusd. post intervallum duarum septimanarum catamenia denuo copiosa apparebant, sub usu infusi corticis Cinnamomi vero et acidi phosphorici cum extracti Trifolii solutione conjuncti mitigabantur et post quinque dies cessabant. Sensu molesto in gula pertinaciter adhuc resistente, collo nunc vesicatorium perpetuum applicuimus, ad usum remediorum priorum revertentes. Nihilominus nausea, sapor amarus, confluxus salivae et dolor ventriculi jam saepius redibant ita, ut precibus aegrotae cedentes leve vomitorium e radice Ipecacuanhae praebere non recusaremus. Quum vero et hoc effectum exoptatum non produceret, in usu remediorum nutrientium tonicorum et sopientium constanter perseverare decrevimus et hunc in finem usque ad medium mensem Decembrem pro vicissitudine symptomatum nunc decocta e radice Salep, nunc gelatinam e cornu cervi praeparatam, nunc ova, nunc extracta amara, nunc corticem peruvianum, nunc Salviam, nunc Valerianam, nunc Castoreum, nunc Asam foetidam, nunc Hyoscyamum, nunc Phellandrium aquaticum, nunc Ipecacuanham in refracta dosi, nunc haustum Riveri, nunc elixirium acidum Halleri in auxilium vocavimus, sed incassum. Mor-

bus cum symptomatibus nunc mitigatis nunc exacerbatis progrediebatur et febris aucta materiam atque vires magis magisque consumebat. Tandem vomitus et diarrhoea colliquativa cum sudore frigido sequebatur et die XVIII. mensis Dec. asthma, repente summum adscendens gradum, aegrotam in maximam anxietatem clamore vultu et gestu expressam injiciebat, sub qua thorax non amplius subsidebat, cor autem, evanescente in membris frigidis pulsu, vehementer adhuc palpitabat, donec suffocatio tristem scenam versus noctem morte clauderet.

Sequenti die, sectione cadaveris instituta, in abdomine hepatis superficiem superiorem ad anteriora conversam et ad regionem hypogastricam fere descendentem, substantia ejus ceterum non laesa, invenimus. Ventriculus directione perpendiculari depressus pyloro marginem superiorem pelvis sinistram tangebatur et paries ejus posterior, in interna superficie lividus, vasa sanguinea atro turgida cum ramificationibus sanguinem in forma stigmatum exsudantibus offerebat. Hic locus desorganisatus, circumscriptus et tumens, figurae irregularis erat, spatium trium circiter pollicum quadratorum occupans. Lien nimis molle, pancreas vero intactum rite constitutum reperiebatur. Colon transversum a ventriculo in cavitatem pelvis detrusum, interna facies ilei in longitudine duorum pedum multis tuberculis latis, in superficie exesis pureque viridescente foetorem spargente tectis, obsita, totus ambitus vero in exitu intestini cum valvula coli scirrhus et exulceratus erat. Colon transversum in tractu sex pollicum coarctationem et uterus parvus collum et orificium induratum offerebat; in organo uropoeticis contra vitia detegi non poterant. Remotis visceribus abdominis diaphragma in parte dextra, more solito, concavum, in sinistra autem vesicae inflatae instar convexum conspiciebatur. Aperto thorace e cavo ejus sinistro cum impetu aer prodibat, quo facto expansio diaphragmatis memorata evanescebat et forma consueta restituebatur. Pulmo ipse in hoc latere valde compressus et ad partem spinalem retro coactus erat; in superficie ejus multae maculae atrae et in substantia tubercula minora miliacea reperiebantur. Pulmo dexter contra magis corruptus erat; inferior enim ejus lobus tumidus densus et lividus e incisionibus ichorem effundebat sanguineum ita, ut inflammationem hic ad

exulcerationem tetendisse appareret; medius et superior autem praeter maculas atras tubercula copiosa, ex parte jam suppurata, ostendebat. Quod vero praecipue memoratu dignum esse videbatur, apices superiores utriusque pulmonis sibi proximi cum pleura thoracis et mediastino ita concreti erant, ut oesophagum arctius includerent. In parte summa lobi superioris dextri ulcus emphysemate circumdatum reperiatur, quod fistula pone oesophagum decurrente in sacco pleurae sinistro aperiebatur. Cor normali gaudens structura in parte dextra sanguine coagulato magis quam in sinistra repletum erat.

Epicrisis: Vitia haec organisationis in cadavere reperta nexui symptomatum morbi lucem satis claram affundunt. Descensus hepatis et ventriculi constrictioni praecordiorum, procul dubio consueto amictu productae, debitus et desorganisatio parietis stomachi posterioris nec non intestinorum tenuium, ex inflammatione lenta originem ducens, perturbationem digestionis cum nausea et gastrodynia, compressio oesophagi autem per ulcus pulmonum adiacens sensum in gula molestum cum salivae confluxu periodico, uti videtur, produxerat. Postea vero, suppuratione progrediente, canalibus aëreis quibusdam exesis, emphysema ulcus circumdans, et exitu aëris per fistulam memoratam pneumothorax in latere sinistro, respirationem et circulationem brevi intercipientes, accesserant. Quando inflammatio ventriculi et intestinorum suppuratione finita invaserit, ex decursu mali complicati certo definiiri nequit, interim hanc ante receptionem aegrotae jam evolutam et lento passu progressam fuisse, phaenomenis turbatae digestionis jam ab initio in conspectum venientibus verosimile redditur. Ceterum historia haec rarum exemplum pneumothoracis exulceratione pulmonum producti, in quo pleurae saccus sinister aëre e pulmone dextro egresso subito ita replebatur, ut post mortem adhuc diaphragma in forma vesicae inflatae ad abdomen depressum reperiatur, nobis offert. Fortasse vita, paracenthesi thoracis instituta, per aliquot tempus adhuc conservari potuisset, sed, diagnosi ante mortem incerta, eandem suscipere non ausi sumus. Tandem catamenia profusa, in toto decursu morbi fortasse ob vitium uteri organicum plerumque bis per mensem apparentia et vires evidenter exhaurientia, in phthisi vel cum inflammatione locali ince-

dente evacuationem sanguinis non tanti, quanti plerumque credunt, effectus salutaris esse, luculenter monstrabant.

5) *Phthisis exulcerata cum hydrothorace observata a Stud. Med. Fleischer.*

Iwan, operarius macilentus, cachecticus, quadraginta sex annorum, e longo tempore diarrhoea subjectus, aestate anni 1810ccccxix. phthisi purulenta manifesta laborans in numerum aegrotorum ambulantium receptus tanto cum successu tractatus fuerat, ut per autumnum negotiis consuetis denuo fungi posset. Sequenti hieme interim malum denuo increverat, et die XXV. Februarii anni 1810ccccxx. auxilium nostrum iterum efflagitans, emaciatus et maxime debilis tussi maxime molesta cum sputis copiosis purulentis, orthopnoea, dolore in regione costarum spuriarum lateris sinistri et insomnia vexabatur. Appetitus erat deletus, pulsus parvus, acceleratus et intermittens, pedibusque ex tribus diebus oedema insigae supervenerat. De praesentia suppurationis pulmonum cum hydrothorace non dubitantes ad juvandam expectorationem et secretionem urinae praescripsimus: Rec. Oxym. scillit. ℥j Balsami peruv. ℥j Sulph. stibiati aurant. gr. vjij M. S. Quaternis vicibus quotidie sumat cochlear caldarium, pro potu decoctum lichenis islandici commendantes. Altera die, morbo perseverante, versus noctem remedio priori pulveris Doweri grana decem superaddere jussimus, quo facto, somno paululum reffectus, diebus sequentibus sputa minori difficultate excernebat. Quum vero oedema pedum incresceret et I. mensis Martii tussis cum anxietate augetetur, herbae Digitalis purpureae granum dimidium cum seminis Phellandrii aquatici granis quinque et Sacchari scrupulo dimidio quater per diem praebere, pro potu infusum baccarum Juniperi eligere, abdomini oleum Terabinthinae inungere et serum e pedibus oedematosi puncturis educere decrevimus. Nihilominus, secretionem urinae imminuta et alvi aucta, pulsu vero et calore vitali evanescente, morbus magis magisque ingravescebat et die V. Mart. ante meridiem miser exstinguebatur.

Instituta sequenti die sectione cadaveris, e cavo thoracis octo fere librae seri limpidi profluebant. Pulmo dexter ubique pleurae crassae et diaphragmati adhaerens, sinister autem fuscus sero maxime compressus, corii laciniae

similis, apice suo inferiori diaphragmati accretus erat. Mediastini crassi lamina dextra laevis, sinistra vero aspera et superficies pulmonis sinistri anterior exsudatione lymphatica reticulata tecta reperiatur. In lobo inferiori pulmonis dextri moles alba lardacea, in superiori numerosa ulcera, parte grumoso flavesciente repleta, diversae magnitudinis conspiciebantur. Parenchyma pulmonis sinistri densum multa tubercula minora non suppurata offerebat et pondere specifico illo aquae majori gaudebat. Pericardium in superficie externa exsudationem aequae reticulatam ostendebat, sed sero interne effuso carebat. Cor locum consueto paullo altiore occupabat, forma externa et firmitate ceterum vix mutata. Ventriculus ejus anterior cono amplo et alto ad arteriam pulmonalem sese attollebat et duobus thrombis albicantibus, basi parietibus cavi firmiter adhaerentibus et caudis in ramis arteriae pulmonalis fluctuantibus, repletus erat. Adjacens saccus venosus dilatatus orificio amplo justo altius descendere et infra partem ventriculi mediam cum eodem conjungi videbatur. In ventriculo postico, praeter sanguinem coagulatum minori copia collectum, lamina fibrosa albicans septo firmiter apposita inveniebatur, substantia et structura musculari ceterum integra, et sacco venoso adhaerente normali. Valvulae tricuspidales et mitrales, nec non arteriae pulmonales atque aorta cum ramis inde prodeuntibus, colore suo inflammationis signa offerebant. Ceterum aortae superficies interna rubra maculis oblongis flavescens duriusculis, e depositione materiae calcareae sub tunica intima serosa exortis, distincta, lumen ipsum vero thrombo albicante firmo repletum erat. Glandulae bronchiales volumine justo majori et duritie insolita gaudebant. Quod viscera abdominis attinet, hepar justo majus, pallidum, sinistrum quoque hypochondrium fere replens, diaphragma sursum tulerat, vesica fellea albicans flaccida bile carebat et lien pallebat; ventriculus collapsus directione fere perpendiculari descendebat et intestina crassa, praecipue colon transversum valde coarctata, glandulae meseraicae autem volumine auctae erant. Processus vermicularis juxta ileum coeco affixus quatuor grana plumbea (Schrotkoerner) dentibus compressa et sabulo commixta continebat. Renes ambitu eminebant et sinister in superficie rubebat, cetera vero organa rite constituta, nec sero circumfusa erant.

Epicrisis: Vitia varia in cadavere obvia, morbum satis complicatum varia stadia percurrisse, demonstrabant. Sed quando singula et quonam ordine atque nexu evoluta fuerint? ex historia allata explicari nequit. Primo forte organa digestionis affecta fuerant, quia e longa annorum serie aegrotus diarrhoea laboraverat, cui perturbationes in systemate venae portae, ex immutatione hepatis et lienis cognoscendae, nec non glandularum meseraicarum obstructions ansam fortasse praebuerant, et cujus effectum coli coarctationem fuisse credimus. Num grando plumbea et sabulum in appendice vermiculari reperta quoque symbolam suam ad malum evolvendum contulerant? — Omnibus inter se comparatis, primum graviorum symptomatum fontem et mortis causam in desorganisatione organorum respirationis et circulationis locum habuisse apparet. Vomicae, superioris lobi pulmonis dextri tubercula praegrassa esse, concretivæ vero cum pleura, massa lardacea in lobo inferiori reperta, asperitas pulmonis sinistri, mediastini et pericardii, pariter atque accumulatio seri in thorace, inflammationes repetitas, praecipue lentas, quarum vestigia vel vasa magna adhuc prae se ferebant, hoc cavum infestasse, luculenter monstrabant. Num pulmonis sinistri compressio, qua exercendae functioni suae ineptus reddebatur, a sero demum collecto originem duxit? Res ita se habuisse videtur, quod asthma grave sub signis hydrothoracis demum accessit. Quomodo vero cordis structura vitata fuit, et quando thrombi firmi ventriculorum et aortae formari coeperunt? Dilatio partis dextrae cordis haud dubie jam dudum sensim sensimque variis obstaculis circulationis in pulmonibus producta erat, thrombi vero ultimo demum tempore, quo accumulatione seri circuitus sanguinis majori in gradu impediabatur, formati esse et vitam tandem extinxisse videbantur. Missis vero conjecturis, exemplum prolatum saltem rursus probat, vitiis pulmonum non raro affectionem cordis et majorum vasorum supervenire et mortem saepius ab interceptis functionibus quibusdam primariis, quam ab exhaustionem virium, imminere.

6) *Phthisis purulenta lethalis a Stud. Med. de Schubersky observata.*

W. puella octodecim annorum, habitu phthisico praedita, superata ante duos annos pneumonia, sex mensibus post correpta fuerat febre remittente

quae tussim humidam reliquerat. Elapsis paucis mensibus haemoptysis per duas septimanas continuans accesserat, ex quo tempore, praeter tussim sudoribus nocturnis localibus vexata, vires magis magisque decrescere sensit. Ante octo menses catamenia cessaverant et ante dimidium annum sudoris loco diarrhoea habitualis accesserat. Variis remediis incassum adhibitis aegrotata die XXII. mens. Aug. anni 1816ccccxx. ad scholam nostram confugit. Instituta exploratione corpus maxime emaciatum, pedes oedematosos, pulsum maxime frequentem et hepar induratum, margine suo ad umbilicum fere descendens, invenimus. Ceterum, quamquam tussis cum sputis copiosis purulentis, sitis et diarrhoea eam vexabat, debilitas vero lectum relinquere ei non permittebat, respiratio tamen satis libera, lingua purissima, appetitus bonus, spes vitae autem maxima erat. In auxilium vocato stethoscopio Laennecciano e stertore singulari et pectoriloquia in dorso observanda excavationem suppuratione productam in lobo superiori pulmonis sinistri magnam adesse cognovimus. Hinc malo omine medicamenta potius palliativa quam curativa praescripsimus, et conservandae vitae praecipue rationem habentes in decursu morbi, praeter nutrimenta concentrata facile digerenda, interne nunc decocta mucilaginosa, nunc amariuscula, adjecta parva quantitate Opii, externe autem fumigationes resinosas secundum praeepta cel. *Crichton* institutas adhibuimus. Sed, quod praevideramus, accidit. Vires enim magis magisque decrescebant, et licet aegrotata bona spe plena se indies melius sese habere contenderet, febre et colliquationibus exhausta tamen medio mense Septembri obiit.

Cadavere dissecto in abdomine hepar cum diaphragmate concretum, densum et volumine auctum invenimus ita, ut pondus novem fere librarum haberet. Substantia ejus ipsa non desorganisata erat, quamquam margines livorem ostenderent. Colon adscendens et transversum ab hepate ad inferiora depressum, peritoneo accretum, et ileum lividum, sed neque inflammatum neque exulceratum, prope insertionem in intestina crassa autem tuberculis parvis flavis confertis, vasis varicosis circumdatis, obsitum erat. In vicinia glandulae meseraicae durae et tumidae materiam viridescentem, partim spissiore partim fluidiore, continebant; ceterae vero minus corruptae,

ubique tamen volumine auctae et induratae conspiciebantur. Ovaria tuebant, et dextrum massa adiposa alba, sinistrum fusca grumosa repletum erat. Lien ambitu consuetos limites excedens vasorum ostia dilatata offerebat. Aperto thorace pulmones ubique accretos et sinistrum, e regione pericardii, membrana spuria crassitudinis dimidi pollicis tectum conspeximus. Lobus ejus superior, suppuratione fere consumtus, cavum trabeculis et vasis obliteratedis pertextum, ex parte pure adhuc repletum, continebat. In ceteris lobis utriusque pulmonis, praecipue tamen in superiori dextro, plurimae vomicae, e parte evacuatae, occurrebant. In pericardio duae fere unciae seri collectae erant. Cor minimum in sacco venoso dextro thrombum flavescens et parietes ventriculi adjacentis maxime tenues offerebat.

Epicrisis: Historiae hujus morbi propterea tantum mentionem feci, quod pectoriloquiae et destructionis pulmonum majoris, tuberculorum suppurationi debita, exemplum offerens, observationes cel. *Laennec* egregie confirmat. Haud dubie enim, quod e sede mali primarii colligi potest, ab initio morbi pulmones eadem ratione, qua glandulae meseraicae, fomite scrophuloso desorganisati, et, superveniente inflammatione lenta, plane destructi fuerant.

7) *Phthisis exulcerata a Stud. Med. (nunc Med. pract.) Görtz observata.*

Maja, femina caelebs esthona, triginta annorum, habitus debilioris et parvi, ante sex annos infantem pepererat et ex illo inde tempore menstruatione caruerat. Sequenti tempore tussis cum doloribus pectoris et sputis interdum cruentis, vires magis magisque infringens, supervenerat, et ante aliquot septimanas tumor in regione hypochondriaca sinistra circumscriptus et dolens accesserat. Instituto nostro die XV. Dec. anni 1800cccxviii. recepta aegrota, maxime emaciata, praecipue de tussi, sub motu corporis aucta, et doloribus pectoris querebatur. Respiratio brevis et anxiosa cum halitu cadaveroso et sputis copiosis viridescens incedebat; circulationem vero acceleratam siccitas oris cum siti, sudor nocturnus, appetitus deletus et crebra alvi dejectio comitabatur. Tumor dolens formam abscessus majoris cum fluctuatione profunda prae se ferebat. Tali in statu, salutis spem quidem non relinquentem, ad mitigandum tussim et sustentandas vires quater

per diem seminis Phellandrii aquatici grana decem cum elaeosaccharo Foeniculi et decoctum corticis Hippocastani cum Lichene islandico praebere decrevimus. Altera die mane ex abscessu a collega conjunctissimo *Maier*, professore Chirurgiae meritissimo, lanceola aperto puris unciae fere quinque educebantur, quo facto aegrotata se maxime exhaustam esse profitebatur, et vesperi in soporem incidebat. Tertia die mututino tempore denuo magna copia puris foetentis cum sanguine commixti profluebat, et post meridiem misera sopore oppressa exhausta obiit.

Sectione cadaveris instituta, abscessum memoratum intra musculos obliquos abdominis formatum fuisse vidimus. Cavum ipsum, longitudinem trium et dimidii, latitudinem vero duorum pollicum cum dimidio offerens, neque cum pectoris neque cum abdominis cavitate connexum erat, quamquam pus parietem posteriorem arroserat. Abdomine aperto, ventriculatum cum duodeno, tumoris illius ope, e loco suo remotum, directione perpendiculari depressum, et hepar volumine auctum ulceribus obsessum reperimus. Diameter eorum partim dimidium partim integrum pollicem aequabat. Unum in superficie superiori lobi majoris conspiciebatur apertum, tria vero in substantia ejusdem recondita occurrebant; et simile in lobo minori inclusum erat; ceterum substantia jecuris intacta esse videbatur. In pulmonibus praeter concretiones cum thorace, praecipue in parte posteriori, ubique, maxime tamen in lobis superioribus, tubercula diversae magnitudinis conspiciebantur, quae in latere dextro in vomicas et ulcera jam transierant, et interjectam telam cellulosaam ita compresserant, ut in vase aqua repleto fundum peteret. Cor vero in regione crenae magna copia adipis tectum structuram innormalem non offerebat. Tandem in medio cerebri magni haemisphaerio dextro abscessus medulla macerata circumdatus, unciam fere dimidiam puris continens, in conspectum prodibat, externo visceris habitu non mutato.

Epicrisis: Rarum historia nostra exemplum suppurationis in omnibus cavitatibus majoribus obviae praebet, et ea de causa praecipue memoratam digna esse videtur, quod aegrotata, sui plane conscia, affectionis capitis mentionem non fecerat et penultima denuo die in soporem incidere.

e) Lues venerea.

1) *Syphilis cum bubonibus suppuratis observata a Cand. Med. (nunc Med. pract.) Prévôt.*

Anna, ancilla trigesimum aetatis annum agens post infectionem veneream ante annum perperam die I. mens. Aug. anni 1810 accessit. Pallida, emaciata et languens e quinque septimanis febre lenta cum dolore capitis et appetitu deleto laboraverat, et lectum relinquere jam non potuit. Exploratione instituta hinc illinc in cute maculas pustulasque venereas, in inguine sinistro cicatrices, in dextro autem bubonem suppuratum magnum, marginibus callosis tumidis circumdatum, e sinuosis recessibus undequaquam ichorem foetidum effundentem, et pudenda externa oedematosa invenimus. Hinc balneo tepido purgatae aegrae infuso-decoctum Corticis peruviani et radicis Calami aromatici cum Spiritu sulphurico-aethereo omni bihorio cochleatim propinandum, unguentum hydrargyri cinereum cum camphora quotidie semel cruribus infricandum et unguentum Elemi ulceri applicandum praescrpsimus. Sequentibus diebus, fistulis circa bubonem cultro apertis, cum suppuratione meliori febris decrescebat et appetitus paullo redibat. Interim aegrotata die X. Aug. de doloribus capitis et pectoris vehementioribus querebatur, qui, quum e refrigerio fortuito originem ducere viderentur, medicamento hucusque propinato Liquorem amonii acetici addere, pectori autem sinapismum applicare nos commovebant, et, sudore excitato, cum febre brevi post rursus evanescebant. Interim die XIV. ejusd. cum prodromis salivationis aegrotata denuo febricitare incipiebat, quare a mercurii usu abstinuimus cum infuso-decocto potum tantummodo tepidum conjungentes. Tum, salivatione ipsa in conspectum veniente, ter vel quater per diem Kali sulphurati grana quinque interno remedio interposuimus, externo autem Hydrargyrum oxydatum rubrum addidimus. Mense Septembris, ptyalismo et febre omni ex parte finitis, ad frictiones mercuriales cum decoctis lignorum rediimus, digestionem adhuc laesam extracto radicis Gentianae rubrae et tinctura Rhei aquosa adjuvantes. Sub usu horum remediorum phaenomena luis venereae brevi plane evanes-

cebant et sub finem dicti mensis ulcera quoque sanata erant. Nihilominus ad malum radicatus evellendum frictions modicas per mensem Octobris cum decoctis et balneis tepidis strenue adhuc continuavimus et ineunte mense Novembris aegrotam bene valentem dimisimus.

Epicrisis: Saliva in casu praesenti absque voto nostro largius quidem profluebat, sed sine damno, febris lenta enim sub eadem evanescebat et viribus corporis refocillatis, omnes functiones ad tramitem suum brevi redibant. Ceterum in corpore vitiiis organicis nondum destructo eandem minus timendam et ad extirpanda mala syphilitica inveterata non raro consulto provocandam esse, experientiis aliis quoque edocti censemus.

2) *Lues venerae inveterata a Stud. Med. Fleischer observata.*

Maria, femina caelebs, impudica, tricesimum secundum aetatis annum agens, die XXI. mens. Augusti anni 1810cccxix. nosocomio nostro excepta, examine instituto historiam morbi sui sequentem nobis communicavit. Mense Majo anni praeteriti catamenia refrigerio suppressa fuerant, vere anni 1810cccxix. denuo impedita perspiratione cutis, tumor pedum dolens supervenerat, tum febris, quaque vespera exacerbata et sudores nocturnos provocans, accesserat, quacum dolores tempore noctis aucti in genu dextro et tibia sinistra sedem fixerant. Tandem ultimis septimanis anorexia cum diarrhoea vires exhaustiente aegrotam plane dejecerat. Exploratione corporis instituta genu dextrum valde tumidum et fere immobile, in tibia sinistra autem exostosis et duo gummata, porro in regione ossis temporum dextri ulcus minus pluresque cicatrices, in interna autem parte brachii sinistri ulcus magnum, nucleum gangraenosum includens, reperimus ita, ut de praesente adhuc morbo syphilitico dubitare non possemus. Propterea post balneum tepidum primo decoctum radicis Columbo cum tinctura Opii, cochleatim propinari, tum frictions ex unguento hydrargyri cinereo mane et vesperi in cruribus institui, elapsis autem aliquot diebus, ad genu maxime dolens hirudines applicari curavimus, quo facto dolores et diarrhoea mitigabantur. Die I. Septembris vero cum gingivarum dolore salivatio pancreatica, copiosis alvi dejectionibus spumosis et doloribus colicis sese exserens, in conspectum veniebat. Hanc infuso corticis Simarubae et Cinnamomi

cum Gummi arabico et extracto Opii, cataplasmatibus aromaticis abdomini impositis, et potu mucilaginoso intra septimanam nobis compeescere contigit. Die X. Sept. molimina fluxus menstrui hucusque retenti cum excretionem paucarum guttarum sanguinis apparebant. Quam febris cum iisdem evanisset, ad usum mercurialium redire decrevimus, eumque in finem quotidie unguenti celeberrimi *Cyrillo* drachmam, e praeceptis illustrissimi *Hufeland*, plantis pedum infricari, simulque decoctum ex uncia radicis *Sassaparillae* et drachma dimidia corticis *Mezerii* propinari, bis vero per septimanam balneum aromaticum tepidum praeparari jussimus. Ceterum inflammationem oculorum accedentem aqua *Rosarum* et tinctura *Opii*, ulcera vero argento nitrico fuso tractavimus. Sub usu horum remediorum dolores osteocopi decrescebant et die XXIII. Sept. ulcera sanata erant. Die II. Oct. catamenia per duos dies continuata parca redibant. A die V. ejusdem febriculae cum doloribus artuum et faucium, forte e refrigerio levi exortae, causa frictions et *Mezerii* usum omisimus, sed, superatis sub regimine diaphoretico memoratis molestiis, die IX. Oct. unctiones alternis diebus continuari praecepimus, versus noctem quotidie guttas *Laudani* liquidi *Sydenhami* sex, septem vel octo praebentes. Die XXIV. Oct. molimina menstruationis cum tumore faciei oedematoso, sed sine excretionem sanguinis, denuo apparebant. Quam iisdem sequentibus diebus dyspepsia cum inflatione ventris superveniret; die XXVIII. ejusdem mensis infusum foliorum *Sennae* cum *Manna electa* praescripsimus. Purgata alvo appetitus redibat, sed ultima *Octobris* die, quam frictions ex unguento *hydrargyri muriatici corrosivi* triginta octo jam adhibitae fuissent, salivatio in scenam prodibat, quae, omisso *mercurii* usu, ad IV. usque diem *Novembris* continuabat. Sequebantur eandem dolores rheumatici scapulae sinistrae ac pectoris cum sputis sanguine tinctis et leucorrhoea, quae catameniorum vices in se suscipere videbantur. Hinc articulationi humeri oleum *Linii Phosphoro saturati* inungi, cessantibus vero sputis cruentis, leucorrhoea contra perstante, sub usu decocti et balneorum continuato tincturae *Guaiaci volatilis* quater per diem guttas quadraginta propinari curavimus. Tandem sub doloribus vagis a die XXII. *Nov.* inde febris intermittens, cum duplici paroxysmo quotidie mane et vesperi incedens, evolvebatur, quae, di-

gestione simul magis laesa, tempore apyrexiae extractum Trifolii fibrini cum sale ammoniaco in aqua Menthae pip. solutum horis singulis propinare nos commovit. Diebus septem elapsis, febris cum doloribus capitis et artuum cessabat, appetitus vero redibat. Hinc, tumoribus localibus jam dissipatis, remediis amaris tincturam Guajaci volatilem rursus adjunximus, quo facto vires magis magisque restituebantur, blennorrhoea evanescebat et habitus vigorem auctum ostendebat. Die XIII. Dec. sub levi dolore colico et diarrhoea catamenia quoque in conspectum veniebant, quae usque ad diem XVI. ejusdem satis large fluebant. Ad vires omni ex parte restituendas tincturae nunc ferri muriatici adhuc guttas viginti, quater per diem sumendas, aegrotata accepit, quo facto omni ex parte sanata sub finem anni e nosocomio dimittebatur.

Epicrisis: Malum hoc syphiliticum, inveteratum et pertinax, praecipue unguento ex hydrargyro muriatico corrosivo et ammonio muriatico cum axungia porci praeparato vinci videbatur, quod consumptis demum quatuor uncis et sex drachmis salivationem produxit, quum eadem prima vice unguenti hydrargyri cinerei uncia altera nondum consumpta jam in conspectum veniret et ad majorem gradum adscenderet. Quare illud, pluribus exemplis aliis de efficacia ejus edocti, in similibus casibus jure commendandum esse censemus. Interim silentio praeterire non possum, aegrotam nostram currenti anno 1800ccxxi. rursus cum tumore genu albo et doloribus osteocopis antibrachii sinistri absque ulceribus ad nos rediisse, sed usu hydrargyri oxydati rubri jam fere reconvaluisse, utrum fomes ante annum et quod excurrit forte non omni ex parte extinctus, an nova contagio in causa fuerit? nesciens.

3) *Ulcera e syphilitide relictata absque mercurio sanata.*

Jahn, rusticus octodecimum annorum, dispositionis scrophulosae, e biennio tumore glandularum colli in suppurationem transeunte et ulceribus faucium, uvulam, palatum molle, et ossa nasi destruuntibus, affectus fuit. Incasum anno 1800ccxxviii. remedia antiscrophulosa in auxilium vocata fuerant, ideoque medicus, scrophulosi morbum venereum via non consueta supervenisse cognoscens, per aestatem anni sequentis medicamentis mercurialibus

eum tractare coepit. Quibus quum mali progressus quidem compescerentur, cura vero non omni ex parte absolveretur, ad scholam clinicam eum ablegavit. Die XXV. Sept. anni 1860cccix. recepto aegroto, ulcera faucium et narium sanata, in manubrio sterni autem et in latere dextro colli, sub aure, duo alia magna aperta, marginibus erosis tumidis et cicatricibus circumdata, invenimus. Ceterum aegrotus per nares vocem emittens salivatione protusa, eaque sine tumore oris halitusque foetore, adhuc laborabat, quamquam e quatuor septimanis mercurio non amplius usus erat. Qui ptyalismus habitualis, licet functiones reliquae rite procederent, ab usu mercurialium abstinere eo magis nos admonuit, quo major, testante medico antea in auxilium vocato, hydrargyri copia jam consumpta fuerat. Hinc aurum muriaticum aegroto praebere decrevimus. Primo tempore bis quotidie octavam grani partem in aqua Menthae piper. quum vero sedimentum sal decomponi ostenderet, in aqua destillata simplici solutam accepit. Deinde, quia et haec solutio minus stabilis esse videbatur, combinationem auri oxydati cum natro et acido muriatico magis constantem, eamque duplici quantitate, remedio priori substituere nobis placuit, dosi sensim sensimque ad granum dimidium aucta. Ulcera ipsa eodem tempore non nisi luteo carpto tegebantur, et siti extinguendae decoctum mucilaginosum inserviebat. Sub usu hujus medicamenti salivatio altera septimana cessabat, ulcera vero meliorem formam induebant et tandem, superata adhuc febre remittente fortuito accedente, omni ex parte consolidabantur ita, ut die XXIV. Decembris aegrotus sanatus dimitti posset.

Epicrisis: Quamquam hoc casu efficaciam auri muriatici in lue venerea inveterata probari credere quis posset, e uostra sententia tamen miasma syphiliticum in aegroto nosocomio excepto mercurialibus jam extinctum erat, et ulcera adhuc obvia non nisi scrophuloso fomite nutriebantur. Num res in aliis quoque casibus ita sese habuit? Exempla a pluribus auctoribus in medium prolata remedii nominati vim in syphilitide recenti vix confirmant, sed effectum ejus potius in casibus inveteratis atque neglectis, praecipue mercurio frustra jam adhibito, demonstrant ita, ut ad destruendam cachexiam quandam complicatam potius, quam ad vincendam luem veneream

ipsam valere videatur. Ceterum, quae in usu est, combinatio ejus cum saccharo, quod metalla oxygenio laxiori vinculo nupta reducit, a nobis probari nequit. Si idem cuprum aceticum jam decomponit, aurum muriaticum sane facilius ei cedit. Vel alia additamenta vegetabilia hac ex causa timenda sunt. In experimentis a nobis institutis vel aqua Menthae pip. praecipitationem efficiebat, quare solutionem dicti salis, praecipue natro juncti, in aqua destillata simplici praeferre nobis placuit. Medici principia chemica negligentes in praescribendis salibus metallicis non paucos errores committunt. Exempla praebent formae remedium mercurialium. Hydrargyrum phosphoricum basicum v. c. sacchari admistionem absque decompositione quadam non perfert, et nonne, quod recentissima probant pericula, vel magnesia hydrargyrum muriaticum mite ex parte destruit? Ilium intra peccatur et extra!

- f) H y d r o p e s.

1) *Hydrops universalis cum paralyti observatus a Stud. Med. Bronsart.*

Rakow, sculptor habitus apoplectici et cachectici, triginta quinque annorum, bibendi nimius, ante aliquot annos ab mores dissolutos apoplexia, paralytin extremitatum lateris dextri relinquente, correptus, et postea gravioribus, sub signis inflammationis pulmonum lentae, evolutis molestiis pectoris vexatus, tandem in hydropem universalem incidere. Die XXXI. mens. Januarii anni MDCCCXVIII. quum nosocomio exciperetur, pulsus contractus et acceleratus, respiratio brevis, stertens et anhelosa, tussis frequens et sicca, loquelam impediens reperiebatur. Stupidus de torpore et doloribus genuum querens corpus in latus invertere non valuit, quamquam in omnibus partibus horizontalem situm bene perferret. Ceterum cum siti aucta appetitus vigeat, urina et excrementa vero apathiae causa, aegroti forte non inscio, sed cubante, excernebantur. Tali in statu, ad promovendam excretionem pulmonum et renum, primo pro potu infusum baccarum Juniperi et deinde Oxymellis scillitici unciam cum Sulphuris stib. aur. granis decem, cujus omni bitorio cochlear caldarium suaveret, praescripsimus. Die III. Februarii,

cute paullo magis perspirante, sed morbo ceterum in eodem statu perseverante, omni trihorio Sulphuris stibiati aurantiaci granum integrum, Hydrargyri muriatici mitis dimidium et Myrrhae electae grana tria cum saccharo praebere, infuso autem baccarum Juniperi, consuetudinis causa, aliquantum vini adusti addere jussimus. Sequentibus diebus diarrhoea, primo quidem levamen symptomatum afferens, postea vero vires exhauriens, accedebat ita, ut a die VI. Februarii, additis aliquot guttulis Laudani liquidi, eandem compescere commoveremur. Interim, frequentia pulsuum nec non calore et siccitate cutis increscentibus, a die XI. inde mensis ejusdem herbae Digitalis purpureae granum unum cum extracti Myrrhae aquosi granis quinque et saccharo quater per diem praebere, partes paralyticas vero spiritu vini camphorato et liquore ammonii caustici lavare decrevimus. Die XIV. Febr. cum excrementis adhuc fluidis, sub doloribus in regione ossis sacri, e tuberculis haemorrhoidalibus paullulum sanguinis profluebat, oedema autem praecipue in scroto et pene increscebat, quamquam cum levamine quodam respirationis sputa largius eaque purulenta excernerentur. Hinc, appetitu simul imminuto, pilulas duorum granorum e Sulphuris sublimati, Extracti Myrrhae $\mathfrak{z}\mathfrak{i}$ 3j Extr. rad. Gent. rubr. 3ij et Herbae Digit. purp. gr. xij compositas, quarum decem quotidie quaternis vicibus sumere debebat, porro herbam Abrotani et Absinthii cum furfuribus tritici et camphora ad parandos sacculos scroto imponendos praescripsimus, infuso baccarum Juniperi radicem Polygalae amarae et flores Arnicae addentes. Sequentibus diebus, fluxu haemorrhoidali et diarrhoea cessantibus, febris et stertor increscebat simulque, percussione thoracis instituta, in latere dextro thoracis e sono exili serum hic majori in copia collectum esse cognovimus. Die XIX. Febr. diarrhoea recrudescerebat, et ex illo inde tempore, herba Digitalis purpureae, Myrrha, gummi Kino, et oxymelle scillitico cum natro frustra adhibitis, vires indies magis exhauriebantur ita, ut die XXIV. Febr. aegrotus suffocatus sub convulsionibus diem obiret supremum.

Cadaveris sectione instituta, serum in tela cellulosa cutis, thorace et abdomine magna copia collectum reperimus. Pulmones multis in locis, praecipue in latere sinistro, pleurae accreti tuberculi diversi ambitus, partim evol-

litis et suppuratis, partim induratis et calculosis, et vasis varicosis scatebant. Substantia eorum hinc illinc condensata et impervia, lobus superior autem sinistri lateris magno ulcere destructus erat. Larynx et trachea, in interna superficie rubra et spuma repleta, duritiem fere osseam ostendebant. Cor multo sero circumdatum in utroque ventriculo thrombos firmos, vasa majora intrantes, offerebat. Ventriculus contractus, in interna superficie rugosus, pituita repletus, pylorus scirrhusus et tumens, lien autem inaceratum erat, et hepar pariter atque renes maxime pallebant. Cerebrum in ventriculis seri fere uncias duas continebat, et pia mater sanguine turgebat.

Epicrisis: Quod historia et symptomata morbi docuerant, sectione cadaveris ergo exacte confirmatum vidimus. Inflammationes progressae organisationem pulmonum maxime turbaverant eosque tandem destruxerant, quo facto, dispositione per potum spirituosum jam inducta, hydrops ubique evolutus vitam celeri progressu tandem terminavit.

2) *Hydrothorax a Stud. Med. Gerstfeldt observatus.*

Iwan, miles diuissus quinquaginta duorum annorum, qui e febre ante tres menses superata non omni ex parte convaluerat, imo, domicilium frigidum humidum occupans et sufficiente victu carens, variis molestiis magis magisque debilitatus fuerat, die X. mens. Martii anni MDCCCXVIII. nosocomio nostro receptus est. Accedens de lassitudine universali, perpetuo frigoris sensu, insomniis, appetitu deleto, asthmate, tussi et dolore humborum querebatur; simulque pulsus parvus acceleratus, cutis sicca et frigida, excretio alvi rara, urinae vero vix imminuta, et sputa purulenta observabantur. E symptomatibus, pneumonia non resoluta statum phthisicum inductam esse, colligentes primo infusum radicis Angelicae silvestris cum Oxymelle scillitico et liquore ammonii anisato propinare, pectori vero vesicatorium magnum imponere praecepimus. Elapsis aliquot diebus, appetitu quidem paululum crescente, diarrhoea, et a die XVI. Mart. sub asthmate aucto et urinae profluvio imminuto, oedema faciei, postea scroti accedebat, quod suspicionem hydrothoracis excitabat. Hinc Digitalis purpureae granum unum, et Sulphuris stibiati aur. grana duo cum saccharo quater per diem praebere, abdomini autem oleum olivarum inungere iussimus. Die XIX. ejusdem in-

crescenti asthmati, quod aegroti non nisi in latere sinistro adhuc cubare permittebat, tumor abdominis quoque accesserat, et die XXI. Mart. pectus concussum fluctuationem aquae in latere sinistro manifeste prodebat. Sub usu herbae Digitalis aucto sequentibus diebus frequentia pulsuum quidem decrescebat, sed arteriae minus distincte micabant et anxietas aucta cum motu cordis suppresso jam pericardium sero repleti indicabant. Addidimus nunc Digitalis infuso Oxymel scilliticum Kali carbonico saturatum et spiritum nitrico-aethereum, quo facto praeter opinionem die XXV. Mart. aegrotus maximum levamen pectoris et incrementum appetitus sentire profitebatur, quamquam neque oedema imminutum neque secretio ulla aucta observaretur; quare acceptam hanc immutationem non nisi impedimento respirationis cuidam interno (v. c. adhaesioni pulmonum) remoto tribuere potuimus. Interim sequenti die omnia jam in pejus ruebant; anxietati enim denuo auctae pulsus frequentior, anorexia, vomitatio et diarrhoea cum habitu faciei hippocratico superveniebat. Nihilominus julapii camphorati cum tinctura Cantharidum conjuncti usu non solum vires paullo resuscitabantur, sed urinae secretio quoque sub finem mensis magis promovebatur et asthma cum tussi mitigabatur. Die VIII. mensis Aprilis autem aegrotus stranguria vexabatur, quae ab usu Cantharidum abstinendum esse monebat. Quum vero brevi post asthma increceret et urina parcius secederet, calor vitalis autem sub diarrhoea et siccitate oris ita imminueretur, ut aër expiratus fere frigidus e pulmonibus prodiret, infuso Serpentariae camphorato tincturam Cantharidum denuo addere decrevimus, sed incassum. Vires enim respiratione et circulatione magis magisque impeditis exhauriebantur et die XXII. Aprilis aegrotus sui conscius in sella perforata morti succumbebat.

Sectione cadaveris instituta, pulmonem sinistram, excepta parte media, ubique thoraci accretum invenimus. Interstitium relictum sero purulento repletum cavum ovale constituebat, et pulmo ipse in hac parte membranis spuris et sedimento puriformi tectus, densus et fuscus, ita compressus erat, ut aquae immersus fundum peteret. Ceterum vomicas clausas continebat, et intra lobum ejus inferiorem et pericardium accumulatio humoris purulenti major occurrebat. Pulmo dexter membranis quidem spuris tectus et hinc

illinc thoraci accretus, sed mollis et lusus, in superiori parte tuberculis sca-
tebat. Glottis tumore membranæ pituitosæ laryngis coarctata, pericardium
sero turgidum, et arcus aortæ ad peripheriam quinquè fere pollicum dilata-
tus erat. Hæc dilatatio sensim decrescens per aortam descendentem, in in-
terna superficie squamis osseis et tuberculis calcareis obsitam, progrediebatur.
Cordis sacci venosi justo ampliores, ventriculi autem vix mutati reperiēban-
tur. Abdomen multum seri limpidi flavescentis, hepar pallidum, sed rite con-
structum, et colon maxime contractum offerebat.

Epicrisis: Vitia organica in cadavere reperta historiae morbi prægressi
lucem satis claram accendunt. Primus ejus insultus haud dubie in inflan-
matione organorum respirationis et circulationis constiterat, quæ non reso-
luta primo desorganisationes descriptas, deinde ope eorum hydropem pro-
duxerat. Affectione pulmonum prævalente, e symptomatibus dilatationem
aortæ et saccorum venosorum, durante vita, eo minus certo cognoscere po-
tuimus, quo magis pulsus ad mortem usque typum regularem retinebat, et sup-
pressio ejus, nunc minor nunc major, circulationi per vitia pulmonum et serum
accumulatum impeditæ originem debebat. Ceterum vicissitudo symptoma-
tum asthmaticorum, nunc increscentium nunc decrescientium, ex parte vaso-
rum labi tribuenda esse videbatur, quamquam levamen, quod aegrotus die
XXV. Martii repente sentiebat, procul dubio e sejunctione accreti pulmonis
a pleura, ope seri collecti, explicandum erat. Pulmonem enim in illa quoque
parte, quæ aqua compressa erat, antea cum thorace arctius cohaesisse, non
solum superficies ejus membranas spurias offerens, sed confluxus quoque,
aliquot diebus ante concussionem pectoris detectus, verosimile reddebat.

3) *Hydrops universalis observatus a Stud. Med. de Pelzien.*

Lisa, femina triginta annorum, constitutionis irritabilioris, spirituosorum
potum amans, die XXVI. mensis Aprilis anni 1806cccxviii. ad scholam cli-
nicam accessit. Quatuor septimanis ante abortum tertio graviditatis mense
perpressa et subsequente hæmorrhagia uteri maxima debilitata fuerat; ces-
sante autem fluxu sanguinis in hydropem inciderat. Exploratione instituta
anasarca universale, præcipue in pedibus, et ascitem invenimus, simulque ex
asthmate, respiratione brevi, sub situ horizontali maxime molesta, et tussicula,

serum in thorace quoque jam accumulatum esse collegimus. Cetera symptomata fuerunt sequentia: appetitus deficiens, lingua impura, constipatio alvi, secretio urinae immutata, pulsus parvus, frequens, irregularis et motus febriles inconstantes. Praescripsimus tunc: Rec. Ligni Quass. $\mathfrak{z}\beta$ Coqu. in Aqu. font. q. s. Sub finem coct. add. Cort. Cinnam. $\mathfrak{z}\text{ij}$ Colat. $\mathfrak{z}\text{v}\text{ij}$ admisc. Extr. rad. Scill. gr. vij Spir. nitri dulc. $\mathfrak{z}\beta$ M. S. Sumatur omni bihorio cochlear unum, pro potu infusum baccarum Juniperi commendantes. Elapsis duobus diebus vehemens et molesta palpitatione cordis cum pulsatione venarum jugularium et rubore faciei superveniebat. Circuitus sanguinis per arterias ita turbatus erat, ut pulsatio per intervalla maxime inaequalia nunc duplex nunc intermittens esse videretur, simulque paroxysmi spastici, omni hora bis vel ter repetiti, intercurrerent, quibuscum aegrotam dolorem in regione cordis cruciantem sentiebat, dum motus organorum circulationis sub pandiculatione, praecipue in brachiis, singulari fere quiesceret. Quae phaenomena, e cordis affectione originem ducere visa, remedium sequens praescribere nos commoverunt: Rec. Hb. Digit. purp. gr. xxij Inf. Aqa. ebull. q. s. Colat. $\mathfrak{z}\text{v}\text{ij}$ add. Extr. Quass. $\mathfrak{z}\text{j}$ Tart. borax. $\mathfrak{z}\text{j}$ Ol. Carvi gutt. vj M. S. Omni bihorio sumatur cochlear majus, quo facto symptomata ultimo loco nominata sensim sensimque decrescebant, et post duos dies sub urinae profluvio copiosissimo plane cessabant. Ex illo inde tempore symptomata hydropis quoque cito evanescebant ita, ut die II. Maji non nisi tincturam Ferri acetici, instaurandarum virium causa, praescriberemus et sequenti die aegrotam e nosocomio dimitteremus. Interim die VI. ejusd. jam rediit, de palpitatione cordis reiterata et symptomatibus gastricis ex errore dietae exortis querens. Hinc ad purgandam alvum Magnesium sulphuricum refractis dosibus praebuimus, quo facto sordes gastricae quidem evacuebantur, palpitationi cordis autem symptomata spastica supra descripta denuo superveniebant, quare VII. Maji die tincturae Digitalis purpureae omni bihorio guttas decem cum aqua propinari a die IX. ejusdem vero cum tinctura Absinthii conjungi praecepimus. Sub usu horum remedium phaenomena perturbatae circulationis nunc magis nunc minus in conspectum venientia continuabant, vestigia autem seri denuo accumulati cum urinae profluvio aucto dissipabantur. Die XI. Maji pulverem ex Her-

bae Digitalis purp. gr. ij Hb Hyosc. gr. j Flav. Cort. aur. gr. x quater exhibuimus, quo facto altera die catamenia in conspectum veniebant, quae die XIII. Maji jaetura sanguinis nimia maximam debilitatem inducebant. Infusum Corticis Cinnamoni cum acido sulphurico nunc propinatum vomitum excitabat, qui, seposito quoque remedio, vel nutrimentorum levissimorum ingestione denuo provocatus, per tres dies continuabat, tum vero mictionis e tincturae Cinnamoni drachmīs duabus, Aetheris sulphurici drachma una et tincturae thebaicae scrupulo compositae guttis viginti, omni hora propinatis, superabatur. Quum vero sanguis menstruus postea quoque large adhuc flueret, a die XVI. Maji inde tincturae Cinnamoni simplicis omni bihorio guttas triginta adhuc propinare decrevimus, quo facto profluvium istud quoque brevi cessabat et convalescentia indies ita progrediebatur, ut aegrotā die XXVI. Maji, tincturam Martis adstringentem ultimis diebus praescriptam domi adhuc sumere admonita, ab omnibus molestiis liberata dimitti posset.

Epicrisis: Circulatio sanguinis perturbata, cum paroxysmis asthmatis spasmodici et hydropē acuto incedens, primo vitii cordis organici suspitionem excitabat. Quum vero molestiae brevi cessarent et postea, quantum scimus, aegrotam non amplius vexaverint, affectionem non nisi dynamicam cordis subfuisse credimus. Num haec affectio inflammatoriae fuit indolis, quae in hydropem transiens profluvio sanguinis finiebatur?

4) *Hydrothorax cum hydatidibus cerebri, observatus a Stud. Med. Werther.*

Ivan, lanus septuagesimum sextum aetatis annum agens, robustae constitutionis, sed ingenii maxime inculti, prima vice XVII. die Septembris anni 1806cccxviii. in clinico ambulatorio auxilium petiit. Molestiae, quibus illo tempore vexabatur, refrigerium subsecutae, in magna lassitudine, levi dolore pectoris circa cor, tussi et insomniā consistebant; pulsus simul in utroque brachio erat irregularis, functiones ceterae autem rite procedebant. Quum rheumatismum labefactatum cor tetigisse judicarem, primum loco dolenti vesicatorium, et postea; mitigata tussi, emplastrum de Gummi ammoniaco magnum pectori imponere suasimus. Interim somno carens, viribus magis

magisque dejectus aegrotus die XX. Oct. ad nōs rediens, e voto suo, nosocomio ipso excipiebatur. Jam gravitatem capitis, dolorem prementem pectoris, sub situ corporis horizontali auctum, et respirationem valde impeditam sentiebat, tussi frequenti sputa puriformia exercebantur, pulsus autem irregularis maxime suppressus, alvus constipata, pedes oedematosi, visus hebes et palpebrae inflammatae erant. Ceterum e longo tempore hernia scrotali in latere sinistro, clavisque et pernioibus pedum laborabat. De accumulatione seri in cavitate thoracis non dubitantes radicis Scillae grana duo cum Tartari depurati scrupulo uno quater per diem praebere, simulque decoctum turionum Pini et baccharum Juniperi propinari curavimus; quum vero sequentibus diebus alvus saepius laxaretur, pulveribus Opii granum dimidium adjecimus, scillae dosin ad tria grana usque augentes. Ex illo inde tempore, sub excretionem alvi imminuta, urinae vero aucta, molestiae pectoris imminuebantur, et tumor pedum evanescebat, quamquam, vicissitudine varia, nunc respiratio nunc digestio magis turbata in conspectum veniret, quare nunc Valerianam, nunc Angelicam, nunc Arnicam, nunc Spiritum C. C., nunc tincturam Cantharidum in auxilium vocare nobis placuit. Tandem, quum signa hydropis evanuisent et aegrotus convalescere videretur, medio fere mense Septembri paroxysmus apoplecticus cum respiratione stertente et inaequali superveniebat. Instituta venaesectione conscientia quidem ex parte rediit, sed, aliquot horis elapsis, aegrotus morti succubuit.

Cadavere dissecto, in cavitate cranii duram matrem crassam, vasis magis evolutis gaudentem, ossibus ita accretam invenimus, ut absque dilaceratione separari non posset. Intra gyros cerebri hydatides piaë matri leviter adhaerentes triginta novem disseminatae erant. Minores pisii, majores nucis avellanae ambitum magnitudine aequabant et quaevis, remota tenui membrana externa, *cysticercum cellulosae Rud.* mortuum contractum offerebat, cujus corpus rugosum et caput tetragonum, rostellis uncinatis munitum, compressione vesicae perfecte protrudi poterant. Fossa Sylvii longitudine eminebat, ventriculi laterales vasa, praecipue circa thalamos, turgida offerentes unciam fere aquae continebant, glandula pinealis magna et dura erat et parti ejus anticae aliud adhuc corpus duriusculum adiacebat. In cerebello rite con-

stituto non nisi una hydatidis occurrebat. Thorax pulmonem dextrum ubique accretum, ex incisionibus spumam spissam effundentem, sinistram in inferiori lobo lividum et sanguine atro scatentem offerebat. Cordis substantia crassa et densa, et sinistra ejus pars cum aorta et vasis ex arcu prodeuntibus pariter atque arteriis coronariis dilatata, dextra autem, praecipue in ventriculo, coarctata erat. Ad introitum venarum cavarum concrementum calcareum, et in superficie interna arteriae aortae atque innominatae squamae osseae conspiciebantur. In hepate vomica reperiebatur, arteria lienalis diametrum quartam partem pollicis superantem et magnos flexus, sanguine coagulato denso repletos, offerebat, lien ipsum autem indolem vix mutatam ostendebat. Pelvi tandem renis dextri appendix urina repleta adhaerebat.

Epicrisis: Vitia in thorace obvia inflammationi pulmonum, cordis et vasorum majorum originem debebant et sine dubio hydrothoracem adduxerant, qui remediis adhibitis jam superatus erat, quum apoplexia lae cerebri inducta superveniret. Interim hydatidum praesentia, durante vita, cognosci non potuit, quamquam stupiditas aegroti et gravitas capitis ab iisdem procreatae esse videbantur.

5) *Ascites observatus a Stud. Med. (nunc Med. pract.) Gundelach.*

Andreas, piscator esthonus septuaginta annorum, ad nosocomium nostrum die XXVIII. mensis Novembr. anni MDCCCXXVII. deductus, duobus mensibus ante oedemate pedum, sensim sensimque ad abdomen ascendente, correptus fuerat. Examine instituto, fluctuatio ventris cum inflatione e retentis faecibus, tussis cum sputis puriformibus spissis, pulsus parvus, debilis, acceleratus, sitis aucta et lingua mucosa tecta observabatur. Alvus erat constipata, urina parca et cutis sicca, habitus vero cachecticus et debilitas maxima. Tussis ante annum sub doloribus pectoris exorta et accedente oedemate pedum valde adaucta, e refrigerio repetito, abusu potuum spirituosorum et defectu ciborum honorum enata esse videbatur. Ex historia et symptomatibus morbi desorganisationem viscerum thoracis et atoniam organorum digestionis subesse judicantes primo quater per diem radicis Jalap. gr. \bar{v} rad. Scillae gr. j et Tartari depurati scrupulum dimidium, potus loco autem decoctum lichenis islandici praebere jussimus, quo facto sub excretionem alvi et

urinae largiori oedema decrescere, tussis vero cum sputis globosis in aqua subsidentibus augeri coepit. Hinc a die III. Dec. omissa usu Jalappae, dosin Scillae et Tartari depurati adauximus, infusum radicis Angelicae interponentes. Nihilominus diarrhoea continuabat, lotii excretio vero imminuebatur et tumor abdominis incresebat. Die VI. Dec. paracentheseos abdominis ope, seri librae viginti evacuabantur, quo facto altera die urina copiosius profluebat, die VIII. Dec. autem febris magis exardescebat. Urinae profluvio postea denovo imminuto, abdomen brevi rursus repleti incipiebat, simulquea egrotus de gravitate capitis et sensu formicationis, e pectore per totum corpus propagato, querebatur. Quam debilitas eodem tempore maxime augetur, infuso Angelicae extractum Gentianae rubrae, tincturam Cantharidum et spiritum nitrico-aethereum adjecimus, mane et versus noctem herbae Digitalis purp. granum integrum, radicis Belladonnae autem dimidium praebentes et pectori emplastrum de Gummi ammoniaco applicantes. Quamquam vero sub usu horum remediorum urina proximis diebus cum levamine quodam largius proflueret, a die XIX. Dec. tamen omnia in pejus ruebant et, appetitu plane deleto, die XXIII. ejusd. sopor levis, stertor et balbuties, nec non pulsuam intermissio accedebat, donec, camphora adhuc frustra in auxilium vocata, miser exhaustus die XXXI. Dec. periret.

Sectione instituta pulmones relaxatos, pituita repletos, cor vero in sinistra parte dilatatum invenimus. In utroque ejus ventriculo polypi conspiciantur, quorum major planus, compressus et fere triangularis, a valvula tricuspidali, longitudine unius pollicis circa dimidio, in ventriculum dextrum prope septum descendebat. Latitudine in basi novem fere linearum, crassitudine vero vix unius gaudebat. Densus et albicans, sed vasis manifestis carens, valvulae firmiter inhaerebat ita, ut sine dilaceratione separari non posset. Alter minor et paullo laxior, aperturae sacci venosi sinistri adhaerens, in ventriculum aorticum descendebat. Stomachus contractus parietes crassos, partim quadrantem partim dimidium pollicem aequantes, in interna superficie vasis varicosis lividis et stigmatibus rubris distinctos, et membranam villosam in posteriori parte rugosam offerebat. Crassities tunicarum incresebat praecipue versus pylorum, qui valde induratus et tumens

volumine auctus erat. Ceterum abdomen seri quantitatem non exiguam continebat.

Epicrisis: Hydropem hic rursus cum vitiis organicis inflammationi debitis incedere vidimus, quae e symptomatibus certo cognoscere nobis non contigit. Pulsus enim usque ad ultimum morbi stadium regularis erat, et respiratio potius secretionem pituitae copiosae, digestio vero atonia impediri videbatur. Polypi et dilatatio cordis in parte sinistra, haud dubie anno praecedenti actu inflammatorio producta, symptomatibus characteristicis eo minus sese prodebant, quo minus indole sua circulationem impediabant. Quando vero inflammatio ventriculi indurationem scirrhosam inducens et ascitem, uti videtur, tandem provocans exorta fuerit, ex historia morbi ab aegroto communicata non liquet, quum doloris ventriculi neque praeteriti neque praesentis mentionem noster unquam fecerit.

6) *Ascites observatus a Stud. (nunc Doct.) Med. Alimann.*

Johannes, rusticus esthonus quadraginta annorum, constitutionis debilioris, die XXIII. mensis Novembris anni 1810ccccviii. institutum nostrum intravit. Symptomata tunc in conspectum venientia erant: habitus cachecticus, oedema pedum et partium genitalium cum phymosi inde enata, tumor et fluctuatio abdominis, respiratio asthmatica cum tussi humida, circulatio maxime irregularis, perspiratio cutis suppressa, et pavor somnum excutiens. Ceterum, licet hepatis tumor insignis attactu abdominis detegerebatur, appetitus tamen vigeat et excretio alvi, imo urinae, satis bene procedebat. Tussis jam ante annum cum dimidio exorta erat, oedema vero ante duos menses demum accesserat. Quum inflammatio cordis et hepatis lenta structuram illorum organorum mutasse et tandem seri effusionem induxisse videretur, ad compescendam exhalationem et promovendam resorptionem simulque juvandam excretionem cutis et renum praescripsimus: Rec. Flor. Arn. ʒij inf. Aqu. ferv. q. s. Colat. ʒvj add. Extr. Cluclid. maj. ʒj Extr. Trif. fibr. ʒvj Spir. nitrico-aeth. ʒij M. S. Sumatur quater per diem cochlear, et: Rec. Hydrarg. mar. mit. gr. β Hb Digit. purp. gr. j Elaeosacch. Foenic. gr. x M. F. P. D. tal. dos. no. vjjj S. Praebeaturn alternis vicibus cum mixtura quater per diem pulvis unus. Potui simul infusum baccarum Juniperi cum Tattaro

depurato destinantes et scroto sacculos aromaticos cum camphora imponentes. Quorum remedium usu continuato et postea aucto sub finem mensis cum excretionē urinae copiosa hydropis symptomata fere evanescebant, et pulsus rarior simulque paullo regularior fiebat. Quum ineunte mense Decembris tumor hepatis quoque et tussis imminueretur; mercurii usum omnino, ceterorum vero medicamentorum continuavimus. Tandem, hydrope plane superato, debilitatis relictæ causa tinctura Absinthii composita cum Spiritu nitrico-aethereo adhuc in auxilium vocata, aegrotum e voto suo die VI. Dec. e nosocomio restitutum quidem, sed circulatione adhuc inaequali laborantem, dimisimus. — Sequentibus annis idem aliquoties cum oedemate pedum et abdominis tumore minori ad nosocomium, auxilii petendi causa, ambulans rediit, sed semper post usum herbae Digitalis purpureae et Hydrargyri muriatici mitis, per septimanam et quod excurrit continuatum, brevi restituebatur, quamquam pulsus perpetuo irregularis maneret.

Epicrisis: Pulsuum abnormitas constans hunc hydrope, repetita vice remediis memoratis brevi superato, e vitio quodam cordis vel vasorum majorum organico praegressae inflammationi debito originem duxisse videbatur. Quamquam enim relatio aegroti et symptomata ipsa claram rei lucem non affuderint, tussis tamen e longo tempore aegrotum vexans, postea vero cessans, naturam affectionis symptomaticae potius quam idiopathicae praese ferebat, ideoque a labe organorum circulationis dependere potuit.

7) *Hydrops universalis a Stud. Med. Wolter observatus.*

Simon, potator male nutritus et habitus maxime cachectici, quinquaginta sex annorum, die XXIX. Jan. anni 1800ccxix. nosocomio receptus, quatuor septimanis ante pedum oedemate, tum tussi cum doloribus in regione hepatis pungentibus, tandem vero hydrope universali cum summa debilitate et urinae atque cutis secretionē maxime imminuta correptus fuerat. Quum seri collectio in abdomine praecipue ex hepatis adhuc dolentis inflammatione lenta originem ducere videretur, ad Digitalem cum Hydrargyro muriatico miti rursus confugimus et brevi, sub excretionē urinae valde aucta, hydrope imminui vidimus. Ineunte autem mense Februario aegrotus in vesaniam absque febre, praecipue noctis tempore sese exserentem, incidit.

Quum digestio eodem tempore valde debilitata esset, die III. ejusdem mensis ab usu herbae Digitalis abstinuimus et non nisi tincturae Absinthii compositae, cujus unciae uni tincturae Cantharidum drachmam adjeceramus, quater per diem quadraginta quinque guttas cum infuso baccarum Juniperi propinare decrevimus, rarum et modicum usus potus consueti spirituosus permittentes. Sequenti die praeterea adhuc camphorae grana tria et Opii granum dimidium tincturis, nunc in infuso Calami aromatici praebendis, interposuimus, et suris sinapismos, cervici autem vesicatorium applicuimus. Sub usu horum remediorum lotium magna in copia excernebatur, donec die VI. Febr. cessante delirio, rursus immoivi inciperet. Quum dolor capitis aegrotum vexaret et appetitus simul deficeret, omissis Opii usu, tincturae Cantharidum dosim adauximus, et spiritum nitrico-aethereum adjecimus. Interim diarrhoea copiosa nunc redeunte, brevi denuo ad Opium confugere et, digestionem ex parte restituta, decoctum corticis peruviani cum tinctura Catechu prioribus remediis subungere commoti sumus. Ex illo inde tempore, sub variis vicissitudinibus excretionum et medicamentorum dosibus iisdem adaptatis, hydropis symptomata versus finem mensis, relicta magna debilitate, macie et diarrhoea, plane evanescebant. Hinc infusum radicis Calami addito Opio et Gummi arabico interne, Oleum Juniperi vero externe adhibere nobis placuit, quo facto mense Martio sensim sensimque vires noster recuperare coepit ita, ut die VII. ejusdem lectum relinquere posset. Sub usu tincturae roborantis Whyttii et thebaicae, nec non frictionum cum oleo Terebinthinae tandem magis magisque convaluit et die XXII. Martii macilentus quidem et cachecticus, ceterum vero a molestiis suis liberatus, e nosocomio dimissus est. — Postquam vero per aliquot tempus satis bene sese habuerat, diaeta et regimine malis, mense Maio denuo in morbum pristinum incidit, et die XXII. ejusdem auxilium nostrum rursus, sed jam incassum efflagitavit; elapsis enim tribus diebus exhaustus periit.

Doleo, descriptionem vitiorum, quae cadaveris sectio nobis obtulit, e negligentia chartae non mandatam esse; interim organa reproductionis vario modo labefactata et desorganisata inventa esse memini.

Epicrisis: Aegrotus vita dissoluta primo in cachexiam cura effusione

seri, manifestae atoniae debitam, tum in vesaniam, delirio interrupto sese exerentem, inciderat ita, ut spes salutis vix reliqueretur. Nihilominus remediis excitantibus et tonicis ab hydrope et mentis alienatione per tempus adhuc liberabatur, donec sub erroribus diaetae vitia organisationis ad tantum gradum eveherentur, ut totum corpus resolutum corrueret.

8) *Hydrops cum chlorosi observatus a Stud. Med. (nunc Med. pract.) Müller.*

Margaretha, puella viginti annorum, constitutionis debilioris, auctumno anni 1810ccccviii. sine evidente momento causali externo in lassitudinem universalem cum amenorrhoea inciderat, cui brevi post, e refrigerio repetito, dolores pectoris et raucoedo accesserant. Ex illo inde tempore aegrotata in chlorosin cum oedemate faciei et pedum, cephalalgia, susurra aurium, et crebra oculorum obnubilatione incidit, qua jam exhausta, quondam vertigine in terram prostrata, haemorrhagiam adhuc narium per quatuor horas durantem contraxit. Tandem auxilio destituta febricula atypica cum epistaxi repetita et digestionem laesa incedente maxime debilitata, die X. Aprilis anni 1810ccccxix. misera scholae clinicae tradita est. Habitum tunc pessimum leucophlegmaticum, praese ferebat; cutis frigidiuscula enim colorem cereum pallidum et pedes oedema insigne offerebant, rubor genarum et labiorum evanuerat et oculi circulis lividis cincti erant; arteriae centies vicies in sexagesima horae parte micabant, cor periodice vehementer palpitabat, et respiratio frequens maxima cum molestia absolvebatur. Ceterum aegrotata de insomnia, anxietate, dolore premente capitis, susurra aurium, gastrodynia et ardore circa umbilicum, periodice accedentibus, nec non siti querebatur; appetitus vero non omni ex parte deficiebat et alvus bis fere per diem fluida deponerebatur. Infuso Calami aromatici tenuiori cum spiritu nitrico-aethereo, et infuso baccarum Juniperi cum elixirio acido Halleri adhibitis, aegrotata quidem paullo melius sese habere coepit, et, magnetismo animali in auxilium vocato, praecipue in capite levamen percepit, sed brevi post haemorrhagia narium, qua sanguis helvolus maxime serosus evacuabatur, aliquoties repetita et diarrhoea interdum recrudescente denuo exhaustabatur, quamquam diverso cum successu nunc tincturam Cinnamomi, nunc infusum her-

bae Digitalis purpureae et Corticis Cascarillae cum spiritu sulphurico-aethereo adhiberemus. Sub finem ejusdem mensis, in medio capite motum fluctuantem sentiens, post somnia, vigilarium tempore visa, instantem mortem praesagiebat. Quam febris ex aliquo tempore, audita hora nona ante meridiem, cum frigore et sudore exacerbaretur, remediis volatilibus nunc corticis peruviani decoctum adjecimus. Nihilominus debilitas, praecipue vero asthma pariter atque anasarca incresebat, et, ineunte mense Majo, aegroti sub inversione corporis pondus quasi in pectore ad loca inferiora devolvi sentiebat. Incassum adhibitis adhuc infuso radicis Angelicae et herbae Digitalis purpureae nec nou tinctura Cinnamomi et Cantharidum, febris continua die IV. Maji status soporosus, posteaque delirium mite superveniebat, et versus noctem sub faciei et extremitatum frigore, stertore, pulsu intermittente, pupilla dilatata et motu oculorum convulsivo misera periit.

Cadavere dissecto intra integumenta capitis communia et galeam aponevroticam serum magna in quantitate accumulatum, ossa bregmatis et parietem orbitae superiores maxime tenuia, ex parte fere pellucida, juga cerebralia et cristam galli valde prominentia, duram matrem circa processum falciformem callosam, arachnoideam sero scatentem, ceterum omnia cranii organa pallida et exsanguia invenimus. In pleura multae maculae formam petechiarum imitantes, ex parte satis magnae, conspiciebantur. Thorax ipse duas fere libras aquae continebat, substantia pulmonum vero, nigritie et livore colorem marmoris imitantium, oedematosa sero copioso turgibat; pericardium crassum, simili humore repletum, cor pallidum, laxum, exsanguie et saccis venosis tenuissimis praeditum includebat. In superficie ejus superiori maculae petechiis similes, in inferiori autem, praecipue ad exitum vasorum majorum, massa adiposa in forma racemorum reperiebatur. Valvula Thebesii solito major et firmiter erat. Hepar in superficie versicolore vesiculas aqua repletas, in inferiori concretionem cum intesticis vicinis, in parenchymate autem cavum, forte ex abscessu relictum, paullulum seri continens offerebat. Vesica fellea crassa et vena portae fere vacuae, lien vix mutatum, pancreas albicans, ventriculus aere inflatus, in parte anteriori striis helvolis distinctus, et intestina maxime pallida erant. In renum parte posteriori livor

quidam, inspersis punctis atris, substantiam ad profunditatem lineae fere penetrabat. Uterus forma normali gaudens, in superficie externa rubens in interna pallens, orificium parvum labiis carens offerebat; ovaria vesiculas aqua repletas continentia ex parte cartilaginosa erant, et sinistrum excrescentia alba rotunda et dura gaudebat; tela cellulosa totius pelvis vero massa gelatinosa flava scatebat.

Epicrisis: Exemplum hic videmus hydropis in chlorotica e perturbatione processuum vegetationis subtiliorum exorti. Sanguis effusus multum seri et perparum partis fibrosae continebat, sed colore suo carbonעי accumulationem non prodebat, quamquam respiratio maxime impedita fuerit. Num hoc a sanguine minori copia receptum, an alio processu ex eodem ejectum fuit? Processus chemici in chlorosi occurrentes nos quidem adhuc latent, sed omnino cum phaenomenis carbonעי imminuti incedunt ita, ut processibus chemicis, in scorbuto obviis, contrarii esse videantur, quamquam uterque morbus adynamia arteriarum nitens plasticitatem sanguinis imminutam offerat. Interim maculae nigrae, in superficie et substantia pulmonum obviae, fortasse illi principii carbonעי parti, quae respiratione adhuc dissipanda erat, sed impedita hac functione excerni non poterat, originem debuerant. Utinam observata et experimenta ejusmodi vitiis lucem clariorem aliquando affundant! Ubi enim energia cordis in febribus hypersthenicis aucta cruoris elaboratione praevalente sese prodit, adynamia contra in febribus asthenicis plasticitate sanguinis imminuta se exerit. Cur vero nunc chlorotica, nunc scorbutica potius discrasia eminet? Num diversitas mixtionis ex aequilibrio actionis arteriarum et venarum sublato, an e vitio processus vegetativi, nunc inferioris nunc sublimioris, repetenda est? Magistro celeb. *Fourcroy* cognitum tantum habemus, partem fibrosam azoto abundare. Ubi hoc imminitur, plasticitate sua destituitur sanguis, et praevalente forte oxygenio serosam potius, carbonео contra venosam nanciscitur indolem. — Ceterum in defuncta attentione digna fuit sensatio fluctuationis in capite, cui latex non intra sed circa cerebrum collectus respondebat, et ponderis in thorace sub motu corporis devoluti, cui oedema pulmonum conveniebat. Num haec symptomata in simili casu diagnosi confirmare possent? Doleo, me illo tempore stethoscopi a

cel. *Laennec* inventi usum nondum novisse, ideoque affectionem pulmonum ultimo loco memoratam ab effusione humorum in thorace, durante vita, distinguere, non valuisse, quamquam haec cognitio ad servandam aegrotam nihil conferre potuerit. Tandem, si quis forte miretur, remedium chlorosi praecipue conveniens, ferrum inquam, a nobis in cura neglectum fuisse, hoc consulto factum esse moneo, quia, experientia brevi ante adhuc edocti, tali in casu metallum illud aegre ferri et, digestionem demum paullo emendata, circulatione vero magis retardata, aegrotis conducere persuasum habuimus.

9) *Hydrops universalis a Stud. Med. Petzold observatus.*

Carolina, ancilla viginti quinque annorum, habitus debilioris cachectici, ex aliquot annis ulcere cruris sinistri magno, ichoroso, dubiae indolis, cum oedemate incessum impediens, laboraverat. Mense Aprili anni 1809. catamenia ejus refrigerio suppressa fuerant, et mense Junio ejusdem anni anasarca accesserat. Die 11. Aug. aegrotata cum tumore, praecipue pedum, insigni ulcereque adhuc aperto, pulsu minimo accelerato, et respiratione impedita in nosocomium recepta de maxima debilitate, insomniis, calore, siccitate oris, siti, appetitu deleto, diarrhoea aquosa et lotii excretionem imminuta querebatur. Accumulationem seri in hoc casu exhalationi per erethismum vasorum auctae debitam esse censentes primo, post balneum tepidum, quater per diem Hydrargyri muriatici mitis granum dimidium et Opii quadrantem cum pulvere flavedinis cort. Aur. adhibere tentavimus; quum vero vomitum ciceret, ad usum tincturae Cantharidum cum Spiritu nitrico-aethereo et essentia Absinthii simplici, parca in dosi exhibitae, confugimus, quo facto diarrhoea imminui, urinae fluxus autem promoveri coepit. Interim post aliquot dies, lotii secretionem rursus imminuta, et siccitate cutis nec non anorexia aucta, abdomen magis intumescerebat; quare liquorem Ammonii acetici cum Oxymelle scillitico et aqua Menth. pip. interne, unguentum Hydrargyri cinereum vero externe in auxilium vocavimus, sed incassum; nam asthma indies crescens thoracem quoque magis repleri monstrabat. Tandem vomitus non solum omni medicamento, sed omni quoque nutrimento, vel aqua Selterana, provocatus ab usu remediorum internorum plane abstinere et in applicatione externorum sola perseverare, anxietas summa autem et orthopnoea

die XIII. Aug. accedens venae sectionem parvam instituere nos adegit. Haec pectori levamen quidem attulit, sed parum constans; die XV. enim ejusdem mensis, lotii excretionem plane suppressa, angor rediens suffocationem minahatur. Detraximus quidem denuo paucas sanguinis uncias et abdomen oleo olivarum inunximus, attamen sine successu, vespertino nimirum tempore, post urinae evacuationem largam repente adhuc exortam, aegrota obiit.

Cadavere inspecto, praeter anasarca universale magnum, cavitates thoracis atque abdominis modica quantitate seri limpidi flavescens repletas invenimus. In illa pulmonum concretio cum pleura majorem effusionem impedivisse videbatur, pericardium crassum contra copiosissimo humore collecto maxime turgebat. In substantia pulmonum tubercula hinc illinc calcuosa reperiabantur, saccus venosus dexter in interna superficie albicans condensatus erat et valvula mitralis crassa cartilaginosa indolem ostendebat. Hepar pallidum usque ad costam quartam sese extollebat et vesica fellea albicans bilem tenuem continebat; lien magnum firmitatem consueta majorem habebat, ventriculus autem aere dilatatus, omentum ad superiora retractum, et renes, praecipue sinister, ambitu aucti observabantur. Substantia horum corticalis maxime pallida, pelvis vero elongata erat. Ovaria hydatidibus, ex parte ambitum nucis avellanae aequantibus, obsessa, et sinistrum tumidum, in superficie externa lividum, thrombum sanguinis coagulati fibrosum continebat. Uterus parvus et densus orificium offerebat induratum. Cetera rite constituta erant.

Epicrisis: Habitus aegrotae e longo tempore cachecticus, et ulcus cruris supra malleolum ichorosum magnum e vegetatione, per hepatis atque lienis labem, in sphaera reproductionis perturbata originem duxisse, et disharmoniam resorptionis et exhalationis provocasse videbantur. Hydrops ipse autem celeri passu progrediens et, pericardio nimis repleto, funestum exitum brevi adducens haud dubie ex inflammatione cordis enatus erat. Crassitudo enim pericardii et sacci venosi dextri aucta, nec non induratio valvulae mitralis cartilaginosa hanc subfuisse luculenter monstrabant, et pulsum frequentia pariter atque nausea, tandem in vomitum transiens, procul dubio eidem tribuendae erant. Quoniam momento causali autem haec inflammatio

provocata fuerit, decidere non ausim. Fortasse circulatio in pulmonibus per tubercula calculosa impedita eidem ansam praebuerat, quod sede vitiorum cordis organicorum in parte dextra verosimile redditur. Interim labes renum quoque, in ambitu eorum aucto et dilatatione pelvium conspicua, ad evolvendum malum symbolam suam contulisse videbatur, quanquam haec organa functioni suae non omni ex parte inepta reddita fuerant, quod excretio urinae brevi ante mortem probavit. Quod curam attinet, infitias ire non possum, methodum antiphlogisticam statim ab initio admissam fortasse fini melius respondiase, sed malum complicatum diagnosin difficiliorem reddebat, idque propterea imprimis, quia primo tempore de molestiis in regione cordis aegrotata non querebatur, et, a tussi ac anxietate libera, neque paroxysmis spasticis neque circulatione irregulari laborabat.

10) *Ascites cum lue venerea a Stud. (nunc Doct.) Med. Walter observatus.*

Catharina, femina caelebs, robustae constitutionis, annum aetatis trigesimum nonum agens, quae ante annum et quod excurrit a lue venerea cum induratione orificii uteri et fluore albo, ex inflammatione syphilitica exortis, in schola clinica ambulans sanata fuerat, hydrope correpta die VII. Aug. anni 1810cccxix. in nosocomium ipsum recepta est. Examine instituto nobis retulit, se ante decem dies menstruatam balneo frigido usam esse, quo facto catamenia cessassent, sed elapsis duobus diebus rediissent; ex illo inde tempore abdomen intumuisse, horrorem cum subsequente calore et siti repetitum, dolores dorsi, faucium, pectoris atque abdominis, posthac raudinam, tussim, anorexiam et insomniam supervenisse. Diligentius statu morbozo explorato, in abdomine tumido fluctuationem et in faucibus ulcus venereum parvum deteximus. Cutis simul erat sicca, urina parca et viridescens sedimentum gelatinosum deponebat, ac faeces alvi raro excernebantur, pulsus tandem parvus, contractus et frequens, respiratio vero molesta et brevis observabatur. Constitutionem corporis robustam, momenta causalia et symptomata intuentes primo venesectionem, qua novem fere unciae sanguinis detrahebantur, insitimus, tum omni liborio Hydrargyri muriatici mitis granum dimidium cum Opii quadrante praebuimus, potui aquam cum Oxymelle simplici destinantes. Altera die, post noctem tranquilliter trans-

actam, cum secretione urinae aucta alvique restituta, febris et pectoris molestiae mitigatae erant. Hinc in usu remediorum continuare et abdomen oleo olivarum tepido inungere, sequenti vero die pulveribus radicis Scillae granum dimidium addere decrevimus. Ex illo inde tempore hydrops cum ceteris symptomatibus, sub largo lotii profluvio, magis magisque decrescebat, sed XII. Aug. die salivationis prodromi cum dolore capitis et appetitu deleto apparebant. Propterea, vomitorio ad avertendam ptyalismum exhibito, ab usu mercurii abstinuimus, et radicis Scillae granum unum cum Camphorae granis duobus et corticis Cinnamomi granis decem quater per diem sumendum praescripsimus. Sequenti die hydropis signa cum affectione pectoris et capitis omni ex parte evanuerant, relicto parvo tantum ulceris venerici vestigio. Ad plane extinguendum miasma syphiliticum, urinae vero excretionem simul juvandam, remediorum ultimorum usui continuato frictiones abdominis cum unguento Hydrargyri cinereo et oleo Terebinthinae adhuc addi curavimus, quo facto, prodromis salivationis dissipatis, elapsis aliquot diebus, affectio etiam syphilitica evanescebat. Nihilominus usum radicis Scillae internam, mercurii vero externam per duas fere septimanas adhuc continuavimus, et, viribus extractis amaris et cortice peruviano sub finem mensis cito refocillatis, die XXX. Aug. aegrotam sanatam dimisimus.

Epicrisis: Origo atque decursus mali, hydropem in aegrotam nostram ex inflammatione exortum fuisse, luculenter monstrabant. Propterea hanc primo venesectione compescere, erethismum vasorum exhalantium vero hydrargyro muriatico miti, quod affectioni syphiliticae simul conveniebat, superare tentavimus. Successus voto perfecte respondit et ideam de processu pathologico conceptam egregie confirmavit. Sin autem malum per longius tempus neglectum vel stimulantibus remediis auctum fuisset; inflammatio haud dubie induxisset vitia organica, quae morbum longum aut insanabilem reddidissent.

11) Hydrops cum scabie a Stud. (nunc Doct.) Med. Kyber observatus.

Reichardus, puer decimum aetatis annum agens, olim scrophulis subiectus, ante sex menses scabie sensim totum corpus occupante correptus, re-

mediis sulphuratis internis et externis frustra adhibitis, ante quatuor dies in anasarca cum diarrhoea et renum cutisque secretionem impedita inciderat. In scholam clinicam die XXVI. Aug. anni 1809. receptus simul jam ascite et febre laborabat. Hinc ad compesceandum erethismum vasorum et juvandam perspirationem cutis, post balneum tepidum saponatum, Hydrargyri muriatici mitis et Camphorae granum dimidium, adjectis tincturae thebaicae guttis duabus, quater per diem exhibere simulque decoctum radices Caricis arenariae et Graminis propinare decrevimus. Aucta ad granum quadrantes tres mercurii dosi, ultima dicti mensis die febris jam cessaverat, tumor vero sub largiori urinae profluvio decreverat. Quum vero, ineunte mense Septembri, affectio gingivarum in conspectum veniret, camphorae usui, loco Mercurii, Nicotianam adhibere nobis placuit, ideoque extracti hujus herbae scrupulum in aqua Menthae uncia dimidia solvi et quater per diem guttas decem praebere curavimus. Vomituritio interim exorta Nicotianae dosim imminuere et, paucis diebus salivationis prodromis fugatis, Mercurium dulcem de novo addere Camphorae dosim autem ad granum integrum augere nos commovit. Quorum remedium sub usu digestio quidem debilitari et diarrhoea in constipationem alvi converti, secretio urinae vero maxime augeri et tumor cutis et ventris cum scabie evanescere coepit. Propterea a die VIII. mensis Sept. extracto Nicotianae pulveris Ipecacuanhae quadrantem granum substituere et, morbo die XII. ejusd. jam superato, ad restituendas vires solutionem extracti Trifolii propinare, nec non ad reducendam functionem cutis normalem balnea quaedam aromatica adhibere decrevimus, quo facto die XVII. Septembris aegrotus sanatus e nosocomio dimitti potuit.

Epicrisis: Quamvis scabies totum corpus tegens accedente hydropo nondum fugata fuerit, cutis et papularum siccitas tamen secretionem consuetam ex parte suppressam fuisse docebat. Impedita inde functione cutis, procul dubio erethismus vasorum sanguiferorum procreatus fuerat, qui febre cum effusione serosa in tela cellulosa et abdomine adduxerat, sed mercurio superato hydropi, per remedia resorptionem et urinam promoventia tollendo, impedimentum non amplius objiciebat, simulque scabiem inveteratam ipsam evellere permittebat.

12) *Hydrops universalis a Stud. Med. Knorre observatus.*

Christianus, rusticus triginta annorum, qui ab infantia tumore cystico in genu dextro, ante aliquot annos illata vi mechanica in ulcus apertum converso et sensim sensimque totam articuli superficiem corrodente, laboraverat, a vetula, auxilium ipsi offerente, per quinque dies toto corpore, ter quotidie, vaporibus cinnabaris immissus, postea, propinata aqua frigida, eadem quoque superfusus fuerat, simulque decoctum radicis cujusdam fuscae acceperat. Cujus curae effectus brevi dyspnoea, dolore pectoris pungente, tussi sicca, tumore linguae et gingivarum, siccitate oris, siti, anorexia, gastrodynia, colica, diarrhoea cruenta, et salivatione sese exseruerant. Accesserat deinde vertigo, dolor capitis, susurrus aurium, insomnia, horripilatio et lassitudo magna, tum emaciatio corporis universalis, cachexia pallore summo sese manifestans, tandemque cum urina et perspiratione suppressis hydrops universalis. Ulcera interim sanata fuerant. Quam die VII. Sept. anni MDCCCXIX. aegrotus in nosocomium reciperetur, salivatio et diarrhoea quidem jam imminutae erant, cetera vero symptomata adhuc continuabant, pulsus parvus simul rarus, oculus languens et splendore carens, animusque maxime afflictus observabatur. Cura igitur contra hydropem e veneno mercuriali dirigenda erat, eumque in finem omni bihorio Camphorae granum unum et Sulphuris praecipitati grana tria cum elaeosaccharo Foeniculi, interposita solutione extracti Trifolii et propinato infuso baccarum Juniperi, praebere decrevimus. Digestione paullo emendata, sequentibus diebus pulveribus memoratis Scillae primo granum dimidium, posthac integrum adjecimus et Camphorae dosin sensim adauximus, pedes fasciis simul involventes, quo facto urina quidem copiose excerni, pulsus vero maxime retardari coepit ita, ut die XIII. Sept. quadraginta, postridie vero triginta octo vicibus tantum in sexagesima micaret. Quae circulationis tarditas, licet radici Scillae tribuenda esse videretur, ab usu ejusdem tamen abstinere nos non commovit, quia aegrotus in omnibus reliquis melius sese habere et appetitu quoque aucto gaudere contendeat. Re vera quoque sub usu grani Scillae unius, Camphorae granorum duorum et Sulphuris praecipitati trium, omni bihorio exhibitorum, pulsuum numerus brevi ad quadraginta octo ictus rursus auge-

batur et die XVIII. ejusdem mensis, vel perspiratione cutis in parte superiori corporis provocata, aegrotus lectum relinquere et in cubiculo obambulare coepit. Quum hydropis signa, urinae profluvio largissimo continuante et evacuatione alvi fluida superveniente, jam fere evanescerent, pulveres, sulphuris hydrogenati dosi ad quinque grana usque aucta, non nisi omni trihorio nunc exhibere jussimus, extracti amari usu interim continuato. Die XX. Sept. arteriae septuaginta vicibus rursus micabant, et sequentibus diebus omnia ad tramitem tandem redibant ita, ut XXVII. ejusdem non nisi debilitas et insignis pallor restaret. Ad absolvendam curam, Scilla cum pulvere radicis Galami aromatici adhuc in auxilium vocata, die XI. Oct. aegrotum restitutum dimisimus, Absinthii usum domesticum ipsi commendantes.

Epicrisis: Si hydrargyri usus rectus in tollendo hydropre ceteris remediis palmam plerumque praeripit, historia enarrata, abusu ejusdem eundem quoque morbum procreari posse, docet. Quum vero organa in aegroto nostro nondum depravata essent, extincto veneno, remediis aptis adhibitis, breviori temporis spatio convaluit, quam ipsi ab initio sperare ausi sumus. Ceterum memoratu dignus erat effectus radicis Scillae, cujus usui, nisi omni, magna tamen haud dubie ex parte, retardatio circulationis tribuenda fuit, quamdiu eidem corpus nondum adsuetum erat, licet digestionis vim nequaquam infringeret.

13) *Hydrops universalis a Doct. Med. Gregorio observatus.*

Anna, mulier esthona habitus parvi, sed robustae constitutionis, quadragessimum primum aetatis annum agens, die XX. mens. Sept. anni 1800. percipiente refrigerio, febre remittente cum tussi, doloribus pectoris pungentibus in latere sinistro, anorexia et insomnia correpta fuerat, quae sequentibus quidem diebus, diarrhoea cum doloribus colicis superveniente, increverat, sed absque remediis, post septimanam, relictis tamen molestiis respirationis et digestionis, jam cessaverat. Catamenia instantia non apparuerant et XXIX. ejusdem mensis oedema in pedibus exortum erat, quod brevi in anasarca transiens totum corpus occupavit. Hoc in statu scholae clinicae die IX. Oct. tradita est. Exploratione instituta fluctuationem in abdomine, asthma sub situ in latere sinistro maxime increscens, tussim perpetuam

siccam cum dolore in latere thoracis dextro, pulsum duriusculum, sed regularem et non acceleratum, appetitum deletum, cutem siccam, urinam parcam, turbidam, fuscam, sed calore non coagulandam, et excretionem alvi crebram aquosam invenimus. Signa praegressae inflammationis et mensium retentio primo venesectionem in brachio dextro, qua sanguinis crusta inflammatoria carentis, sed multum cruoris continentis, unciae sex evacuabantur et pulsus liberior et mollior reddebatur, instituere nos commoverunt. Tum ad restituendam harmoniam exhalationis in cute et canali intestinorum mixturam e liquoris Ammonii acetici uncia una, aquae Foeniculi unciae quinque et Gummi arabici drachmis tribus, omni bihorio cochleatim hauriendam, porro Opii et Ipecacuanhae granum dimidium versus noctem sumendum et potum ex infuso baccarum Juniperi praeparatum praescripsimus. Elapsis tribus diebus, quum appetitus augetur, diarrhoea vero immiunetur, infusum unciarum octo e radicis Senegae drachmis duabus et Oxymellis scillitici uncia dimidia, adjectis olei Foeniculi guttis quatuor, omni bihorio cochleatim propinari, abdomen vero unguento Hydrargyri cinereo inungi iussimus, quo facto affectio pectoris decrescere et somnus tranquillior reduci coepit. Quum vero Senegae usus vomitionem ciceret, eidem die XV. Oct. cort. Aurantiorum substituimus, indeque brevi appetitum restitui et cum prodromis salivationis urinae excretionem maxime promoveri vidimus. Omisso nunc unguento mercuriali, abdomen oleo olivarum tepido inungi curavimus, ceterum vero in usu remediorum perseveravimus. Ex illo inde tempore, lotio largissime fluente, symptomata morbi omnia ac singula cum hydropo magis magisque evanescebant et digestionis vires incresebant ita, ut a die XIX. ejusd. usum carnis et cerevisiae concedere non dubitavimus. Die XX. Oct. molimina menstruationis in conspectum veniebant, catamenia ipsa autem non apparebant. Exorta jam levi salivatione, collutionem oris ex herba Salviae et usum tincturae amarae in auxilium vocavimus et a die XXVI. ad promovendam cutis perspirationem, adhuc suppressam, Camphoram gummi arabico subactam, in aqua florum Sambuci solutam, interposuimus, quo facto, et hac functione restituta, aegrotata vires sensim recuperavit et medio mense Septembri omni ex parte sanata dimissa est.

Epicrisis: Historia communicata rursus exemplum hydropis ex affectione inflammatoria exorti offert, et successus curae, quantum tali in casu venesectiones et mercurialia valeant, luculenter ostendit. Vel vitia organica in cadaveribus hydropicorum plerumque reperta haud dubie inflammationi occultae originem debere solent, et seri confluxum saepissime magis hac ipsa, quam illis produci videtur. Hinc remedia inflammationem tollentia non raro tanti sunt effectus. Eminent inter illa Hydrargyrum muriaticum mite, quod, non solum exhalationem compescens, sed resorptionem quoque egregie promovens, vel texturae et inde nata organisationis vitia non raro adhuc destruit, et, vegetatione ad trantem reducta, excretiones salutare adjuvat. Fortasse plurima sic dicta diuretica, non tam provocata renum actione fortiori, quam resorptione vasorum lymphaticorum et venarum adjuta, vim suam exerunt. Humores enim non assimilandi, e cavis et cellulis ad massam sanguinis reducti, a colatoris illaesis tandem sponte ejici videntur.

14) *Hydrops universalis observatus a Stud. Med. Hahn.*

Abrahamus, operarius quadraginta sex annorum, vinum adustum amans, praeterita aestate, post potum frigidum aestuante corpore assumtum, tussim cum haemoptysi contraxerat, quae, quamvis tempore auctumnali sputa cruenta cessarent, constanter continuavit, imo hyemali tempore adhuc increvit. Sub finem anni oedema pedum, scroti atque praeputii insigne, asthma molestum, urinae secretio impedita, cutis perspiratio suppressa, tandemque diarrhoea accessit. Die III. Jan. anni 1810cccx. in institutum nostrum receptus aegrotus praeter symptomata memorata fluctuationem abdominis satis magnam offerebat et sputa puriformia copiosa excernebat. Quum praeter signa anamnestica constitutio aegroti robusta, pulsus plenus et appetitus satis bonus accumulationem seri hic quoque orgasmo arteriarum praecipue debitum esse monstrarent, die IV. Jan. venesectione sanguinis novem uncias detra-ximus, tum vero herbae Digitalis purpureae granum cum Nitri deperati scrupulo dimidio ter quotidie praebere et abdomen unguento Hydrargyri cinereo bis per diem inungi jussimus. Pulsuum energia nunc jam ex parte infracta, a die VI. Jan. nitri loco pulveribus Natri subcarbonici grana quinque addidimus, e scroto et praeputio serum incisionibus parvis eduximus, in ceteris

vero continuavimus, quo facto urina copiosius evacuari et tumor decrescere coepit. Diarrhoeae et tussis perstantis causa, a die X. ejusdem, remedii pristinis tincturae thebaicae dosin, versus noctem praebendam, addidimus, a die XII. Jan. autem, qua pulsus intermittens reperiebatur et sensus lassitudinis increverat, pulveres non nisi bis per diem exhiberi curavimus. Die XIV. epulis in ore conspicebatur, quae incisione aperta multum puris effundebat. Quum urina sequenti die minori in copia evacuaretur et pulsus rarius intermitteret, Digitalem denuo ter quotidie exhiberi eamque, juvandae digestionis causa, sequenti tempore cum flavedine corticum aurantium conjungi praecepimus. Die XVIII. Jan. hydropsis signa plane evanuerant, sed tussis adhuc cum debilitate continuabat. Sub finem mensis, et his molestiis fere superatis, ad usum tincturae Absinthii transivimus, quo digestio quoque in integrum restituebatur ita, ut die VII. Febr. aegrotus e nosocomio domum remitti posset.

Epicrisis: Felici cum successu hydrops cum affectione pectoris e praegressa, quod videtur, inflammatione exortus, in hoc casu rursus antiphlogisticis praecipue remediis superabatur. Sed prohi dolor! vita dissoluta aegrotus post aliquot tempus in malum pristinum recidit et extra nosocomium, nobis insciis, periit.

15) *Hydrops a Stud. (nunc Med. pract.) Gundelach observatus.*

Jürgensohn, servus quinquagesimum aetatis annum agens, constitutionis debilioris, ad scholam nostram die XXVI. Febr. anni c181cccxx. accedens de morbo suo haec fere retulit. Ex aliquot annis doloribus pectoris et hypochondrii dextri cum sensu ponderis, asthmate, tussi et sputis pituitosis laboraverat. Ante duas septimanas, ex suppressa perspiratione cutis, febris remittens et oedema pedum, brevi ad abdomen usque ascendens et genitalia occupans, accesserat, quod tandem rupturam epidermidis crurum inducens effusionem seri largam procreaverat. Quum aeger reciperetur, habitus ejus erat cachecticus, laxus, lassitudo insignis, appetitus deletus, alvi dejectio fluida, urinae excretio imminuta, pulsus rarus, quinquaginta vicibus tantum in sexagesima micans, respiratio molesta, abdomen fluctuans et regio hepatis dolens. Quum hic rursus inflammationem lentam in hepate subesse judica-

remus, atonia fibrarum vero evacuationem sanguinis instituere non permitteret, primo herbae Digitalis purpureae et Hydrargyri muriatici mitis granum dimidium ter quotidie praebere et potus loco decoctum tationum Pini et baccarum Juniperi propinari curavimus. Quorum remediorum usu, ad diem V. Mart. usque continuato, symptomata morbi sub aucto lotii profluvio multum imminui, sed salivationis prodromi in conspectum venire coeperunt, quare, omisso mercurio, herbae Digitalis dosis ad granum integrum aucta est. Elapsis quinque diebus affectio gingivarum evanuerat, ideoque unguentum Hydrargyri cinereum cum oleo Pini abdomini inungi et Digitalis dosim sensim ad grana duo augeri jussimus. Interim, quum omnia rite jam procederent, die XVIII. Mart. audita hora decima ante meridiem, repente alienatio mentis invasit; subito enim noster, conscientia et loquela carens, e lecto exsiliit, vestimenta abiecit et errabundus, faciei musculis interdum convulsis, salivam ex ore fundens in cubiculo vagatus est. Ceterum, quamquam non respondebat, adhortationes tamen intelligere videbatur, suspirans enim et vultu luctuoso adstantes adspiciebat, indulgentiam eorum quasi implorans. Pupilla eodem tempore dilatata erat, quamvis e gestibus ejus visum non hebetatum esse appareret, pulsusque non nisi quadraginta vicibus in sexagesima micabat. Cuiam momento causali subitanea haec mutatio tribuenda fuerit? divinare nobis non contigit. Hydropis enim symptomata jam omni fere ex parte evenuerant, et non solum die praecedente aegrotus de convalescentia gaudens boni animi fuerat, sed, tranquilliter transacta nocte quoque, eadem die, hora ante accessum, cum appetitu jentaculum assumserat ita, ut herbae Digitalis usus saltem accusari non potuerit, etsi pulsuum, quorum diebus ultimis tamen quadraginta octo adhuc numerabantur, infrequentia ei forte tribuenda fuerit. Momentis causalibus aliis quoque non obviis, morbum ipsum metaschematismo, fortasse serosae effusionis ope, ad cerebrum translatum fuisse, conjecimus et torpori vasorum praesenti, indeque imminenti paralysi sensorii, occurrentes sequentes remediorum concinnavimus formulas: Rec. Rad. Valer. silv. Flor. Arnicae $\mathfrak{z}\mathfrak{z}$ $\mathfrak{z}\mathfrak{z}\mathfrak{z}$ Inf. Aqu. ferv. q. s. Col. $\mathfrak{z}\mathfrak{v}$ add. Sacch. albi $\mathfrak{z}\mathfrak{z}\mathfrak{z}$ D. S. Omni bilorio propinetur cochlear cibarium, tum: Rec. Aetheris sulphurici cum Phosphoro saturati \mathfrak{z} D. S. Addantur cuivis infusi

prioris dosi guttae decem, tandemque: Rec. Hb Rutae Hb Meliss. Hb Abrot. Hb Menth. crisp. \mathfrak{z} \mathfrak{ss} M.F. Spec. S. Vino infusa capiti imponantur. Ceterum cervici vesicatorium, utrique femori autem sinapismum applicuimus. Interim aegrotus, vocis usu carens et mentis non compos, in cubiculo absque pudore mingens, medicamenta aequae ac nutrimenta respuebat, donec post meridiem ad illa deglutienda vi adigeretur, quo facto pulsus maxime irregularis fiebat, nunc enim commotione animi accelerari, nunc crebris intermissionibus retardari videbatur. Vespertino tempore, facie pallida deformata et pupilla dilatata, in soporem incidebat, sub quo membra agitata sonos gementes edebat. Postridie, nocte sub comate vigili transacta, pulsus mane denuo lentus, simulque adhuc inaequalis erat ita, ut post nonum, decimum vel undecimum ictum pauci frequentiores cum subsequentibus maxime raris sequerentur. Lingua sicca exstitit et nutrimenta aegrotus hucusque non assumsrat, sed conscientia et loquela ex parte redierant; ceterum lamentans et suspirans doloribus se vexari negabat. Versus meridiem pulsum regulariorum ictus tantummodo triginta quatuor numerabantur, nihilominus aeger nunc sui conscius ad propositas quaestiones rite respondebat, quid ipsi acciderit, ceteroquin plane ignorans. Successus curae in usu remediorum ultimorum nos perseverare et pro potu infusum aromaticum addere commovit. Vesperi arteriae sexaginta vicibus, sed incongrue micabant, et maxime debilitatum aeger se sentiebat; in reliquis status erat idem. Die XX. Mart. somno tranquillo reffectum et appetitu satis bono gaudentem nostrum invenimus; alvus rite evacuata fuerat et pulsum frequentia ad quadraginta octo ictus redierat. Nihilominus remedia hucusque adhibita nondum seponenda, sed Phosphori dosin modo imminuendam esse censuimus. Quum vero sequentibus diebus, excepta perspiratione cutis et urinae secretionem, omnia bene procederent, a die XXII. Maji inde, refocillandarum virium torpentium causa, infusum radices Calami aromatici cum extracto Trifolii fibrini et spiritu nitrico-aethereo, cui omni bihorio tincturae Cantharidum guttae tres adjiciebantur, in auxilium vocavimus. Diebus sequentibus, quibus dolore capitis periodico aegrotus vexabatur, cum successu tincturam Castorei interposuimus et sic versus finem mensis ipsum a molestiis suis plane liberatum vidimus.

Acceptit nunc instaurandarum virium causa tincturae adhuc Chinae compositae unciam cum tincturae Catharidum drachma, ut quater per diem guttas quadraginta assumeret, quo facto sanatus die VII. mensis Aprilis e nosocomio domum remissus est.

Epiërisis: Historia enarrata insolitae alienationis mentis causa memoratu dignissima esse videtur, quamvis pathogeniam explicare non ausim. Eventus interim in eligendis remediis errorem nos non commisisse luculenter monstravit; praeter expectationem enim, sub usu Aetheris phosphorati, malum altera die jam cessit. Ceterum nostro non nisi brevis vitae usura concessa fuit; elapsis nimirum aliquot mensibus, eum oedemate pedum denuo correptum subito, fortasse ex apoplexia, mortuum esse audivimus.

16) *Hydrops universalis a Stud. Med. Bohland observatus.*

Maria Rode, vidua robustae constitutionis, quadragesimum sextum aetatis annum agens, potatrix, postquam, per sedecim fere menses catameniis carens, oedemate pedum et periodica palpitatione cordis laboraverat, sub finem anni c1819. in hydropem universalem incidit. Die VII. mensis Aprilis c1819. scholae clinicae tradita, oedemate universali plane deformata, de maxima anxietate, doloribus praecordiorum constringentibus, anorexia et insomnia querebatur. Orthopnoea vix singula verba pronunciare ei permittebat et semper erecto corpore sedere ipsam cogebat; eodem tempore tussis cum sputis eruentis perpetuo eam cruciabat, pulsus frequenter et duriter micabat, abdomen fluctuabat, urina autem fere suppressa erat. Ceterum circa genitalia et in natibus ulcera quaedam e neglectis furunculis, quod videbatur, exorta occurrebant. Inflammationem organorum circulationis hic subesse non dubitantes venaesectionem primo largam instituimus, deinde Hydrargyri muriatici mitis granum dimidium cum saccharo omni bihorio, et potus loco infusum baccarum Juniperi praeberi, tum abdomen oleo Olivarum tepido inungi, tandemque praecordiis cataplasmata emollientia imponi curavimus. Hac methodo aegrotata paullulum levata die IX. Aprilis urinam majori in copia emittere coepit. Nihilominus, curae accelerandae causa, ad usum herbae Digitalis simul confugiendum rati sumus, ideoque granum ejus, cum Tartari depurati drachma dimidia mixtum, ter quotidie,

Hydrargyri muriatici mitis autem granum mane et vesperi tantum praebere, sequentibus vero diebus, doloribus colicis aegrotam vexantibus, abdomen oleo Hyoscyami cocto inungi jussimus. Die XV. April. quum, larga sub urinae excretionem, omnia symptomata jam mitigata essent et somnus nec non appetitus rediret, caput et gingivae dolere coeperunt, quare, mercurii usu omisso, Digitalem quaternis quotidie vicibus exhiberi praecipimus. Die XVIII. mensis ejusdem, accumulatione seri in abdomine et cute pariter atque doloribus colicis et cephalalgia dissipatis, aegrotam lectum relinquere et paululum obambulare tentabat; interim tussis et asthma, licet valde imminuta, ex parte adhuc perstabant. Accessimus nunc ad usum extracti Trifolii, deinde Corticis peruviani, sed anorexia, nausea ac cephalalgia cum salivae confluxu in ore exortis, die XXV. April. radicis Ipecacuanhae ope aliquoties vomitum provocavimus. Postridie scena mutata erat; aegrotam enim in statu apathiae versabatur et praeteriti temporis plane immemor, tranquilla, anxietatis et dolorum expers, exhausta et stupida jacebat, quamquam pulsus adhuc frequens, plenus et durus, temperatura cutis autem non aucta et facies pallida esset. Ut torpori nervorum et cerebri occurreremus, nunc primo omni bitorio granum Camphorae praebere curavimus, quum vero die XXVII. ejusdem totum systema musculare paresi correptum esse appareret et stupiditas aegrotae absque sopore ita increveret, ut neque tempus diei atque colores distinguere, neque nomina adstantium recordari posset, cordis vero et arteriarum reactio constanter aucta maneret; arteriotomiam in arteria temporali sinistra instituere non dubitavimus. Interim pulsus durus et apathia cum oblivione illa perstitit, omnesque instinctus extincti esse videbantur. Propterea die XXVIII. ejusdem mensis, vesicatorio cervicis applicito, infusum radicis Serpentinae virginianae cum spiritu sulphurico-aethereo, cochleatim propinandum, praescripsimus, sequenti autem die eidem, cum tinctura Cinnamomi reiteratae, Aetheris cum phosphoro saturati omni bitorio guttas decem, saccharo exceptas, adjecimus. Die XXX. Aprilis sui magis conscia, sub exanthemate herpetico in cubito dextro exorto et oedemate in extremitatibus redeunte, cibum nostra rursus appetere coepit, pulsus vero duritiae et frequentiae vix imminutus fuit. Ineunte mense Majo sub usu re-

mediorum ultimorum majori dosi continuato vires mentis et corporis paullo incresebant et die IV. ejusd. urinae excretionae aucta, oedema quoque rursus evanuerat. Cura ulterius rite procedente, a die VI. Maji infuso Serpentariae radice Arnicae drachmas duas adhuc adjecimus; quam vero die sequenti de doloribus colicis aegrotata quereretur et die VIII. Maji lingua sicca, sitis aucta et appetitus deletus esset, omissa radice Arnicae et Phosphori usu, infusum Serpentariae et Calami aromatici cum Aethere propinavimus, et articulationi cubiti, in quo, ulceribus circa pudenda sub usu unguenti Elemi jam sanatis, exanthema in phlegmonem valde dolentem abierat, unguentum Hydrargyri cinereum applicuimus. Die X. Maji, post cataplasmata abdomini imposita, dolores colici cessaverant, siccitate oris autem et siti continuantibus, oedema pedum et tumor ventris denuo supervenerant. Hinc mixturae omni Liborio tincturae Digitalis purpureae guttas quinque adjici jussimus. Ex illo inde tempore cum appetitu, perspiratione cutis et urinae secretionae auctis, symptomata hydropica quidem disparebant, debilitas vero et dolor cubiti incresebat, quare vires partim infuso radice Valerianae et Calami aromatici, partim decocto Corticis peruviani et tinctura Aurantiorum erigere studuimus. Interim die XX. Maji aphthae in conspectum venerunt, et die XXIII. ejusd. aegrotata ex arteria temporali, noctu in loco incisionis sponte denuo rupta, quam plurimum sanguinis perdidit, quo facto pulsus concidit, nihilominus vero sequentibus diebus, licet minor et paullo rarior, duritiem pristinam fere recuperavit. Frustra in auxilium vocato infuso Serpentariae virginianae et florum Arnicae cum Aethere interne propinando, nec non melle Rosarum cum acido muriatico cavitati oris applicando, die XXVIII. aegrotata plane exhausta obiit.

Cadavere dissecto, in abdomine stomachum a cardia usque ad pylorum in formam intestini contractum, in interna superficie rugosum, hinc illinc vasis serosis sanguine injectis distinctum, intestinum caecum dilatatum et aëre expansum, ad civitatem pelvis versus sinistram descendens, colon transversum ad inferiora detrusum, curvaturam sigmoideam longam et adscendentem, laqueum ad superiora formantem, intestina hinc illinc peritoneo accreta et austerioris coloris, hepar et lien in inferiori parte livida, sed non

desorganisata, renes succenturiatos magnitudine eminentes, orificium uteri excoriatum, ovaria dura et magna, arteriarum tunicas rigidas, pluribus in locis crassas, asperas et materia calcarea inspersas, invenimus. Prae ceteris arteria meseraica superior ad ortum suum lumen inaequale offerens, et arteria lienalis flexuosa callositatem fere cartilagineam monstrabant, coeliaca autem et plexus nervorum adjacentes tela cellulosa condensata involuti erant. — In cavitate pectoris pulmones sanguine rubentes, per totam substantiam copiosis maculis atris inspersi et pleurae ubique accreti, ceterum illaesi, ac cor hypertrophica praecipue in latere sinistro, in quo ventriculi parietes crassitie fere pollicis gaudebant, densatum, sed minime dilatatum, conspiciebantur. Valvulae, tum mitralis cum tricuspidalis, duritiae fere cartilagineae praeditae et arteriae coronariae multas vesiculas aëreas continentes rigidae erant, in atrio dextro thrombus major et in ventriculo adhaerente densum coagulum fibrosum, in sacco venoso sinistro vero sinus dimidii pollicis membranis spuris repletus occurrebat. Aortae parietes crassi et firmissimi in interna superficie maculas albicantes e materia calcarea, sub intima membrana deposita, exortas monstrabant. — In cranio duram matrem laxam, cerebrum mollissimum et membranas arteriarum ubique gravis calcareis, quibus carotides internae et basilaris praecipue insolitum rigorem induerant, scatentes reperimus. — Vasa extremitatum arteriosa firmitate quidem excellebant, sed materiam peregrinam non offerebant; articulatio cubiti dextri pus continebat, accumulatio seri autem, excepta parva effusione in pericardio, nusquam occurrebat.

Epicrisis: Denuo hic exemplum hydropis ex inflammatione cordis et arteriarum originem ducentis ante oculos habemus, quo feliciter quidem superato, aegrotata nihilominus e vitis organicis relictis, vegetationem impediens, periit. Orthopnoea et summa anxietas cum sputis cruentis ab initio eandem vexantes praesentem adhuc phlogosin ipsam insignebant, pulsus vero ad vitae fere finem usque durus hypertrophiae et arteriarum densitati originem debebat. Quando vero desorganisatio in apparatu circulatorio supervenerit, ex historia morbi certo constitui nequit; interim primordia vitiorum memoratorum haud dubie in tempore longe praegresso, in-

crementa autem in continua inflammatione lenta sequentis temporis quaerenda fuisse, e phaenomenis ipsis apparebat. Vel singularis sensorii stupor vasorum vitii inductus fuit. Labes enim arteriarum cerebri ejusdem nutritioni obesse et tandem mendam post mortem inventam, qua functiones mentis tantopere impediabantur, gignere debuit. Simili vitio haud dubie quoque tribuendum erat, quod arteria temporalis in loco incisionis, quatuor fere septimanis post operationem elapsis, denuo rupta profluvio sanguinis eo majori ansam praebuit, quo minus aegrotata, apathia laborans, curatricis, noctis tempore non satis attentae, auxilium imploravit. Haec haemorrhagia, quamvis fatum nostra effugere non posset, perniciem saltem accelerabat. — Tandem vero et induratio telae cellulosaе circa arteriam coeliacam et plexus vicinos flocci pendenda non erat. Haud dubie enim et haec ex inflammatione enata partim ad gastrodynamiam, partim ad perturbatam digestionem et ventriculi contractionem, post mortem repertam, symbolam suam contulerat.

17) *Ascites a Stud. Med. Reymann observatus.*

Anna, rustica quadragesimum sextum aetatis annum agens, quae ante duos annos ultima vice puerum pepererat et ex illo inde tempore catamenii caruerat, inense Martio in hydropem cum febre, digestionem debilitata, et doloribus abdominis pectorisque inciderat. Die IX. Aug. ad nosocomium deducta ascite maximo cum anxietate, pulsu parvo accelerato, functione cutis et renum suppressa, nec non debilitate summa laborabat. Urina parca et fusca, pigmentis coeruleis explorata acidum liberum prodens, calore omni ex parte congelabatur. Hinc primo Hydrargyri et herbae Digitalis granum dimidium omni bihorio praebuimus, postridie vero paracenthesin abdominis instituimus, qua quadraginta octo fere librae seri flavescens educebantur. Abdomine collapsa, tumores quosdam duros dolentes tum in regione hepatis cum in regione gastrica, nec non scirrhum uteri deteximus. Quamquam vero operatio aegrotatae insigne levamen afferret et urina largius fluere inciperet, malum tamen pertinax curae restitit, et sub usu variorum medicamentorum symptomata modo mitigabantur modo ingravescebant. Nunc enim dolores colici cum anorexia, pyrosi et alvi constipatione, nunc oppressio pectoris cum impedita deglutitione, nunc dolores capitis cum vertigine, nunc ex-

haustio virium cum sollicitudine miseram in primis vexabant, et quamquam paracentesis abdominis e voto aegrotæ quinque adhuc susciperetur, serum tamen, renum et cutis secretionem suppressa, denuo semper in abdomine accumulabatur. Frustra, e vicissitudine molestiarum, hirudinibus, unguento mercuriali et oleo Hyoscyami cocto ad abdomen applicatis, et, praeter medicamenta supra memorata, Tartaro depurato, radicibus Rhei, Scillae, Valerianae atque Columbo, extractis amarum ac Nicotianae, mixtura Riveri, Nastro, aqua Calcis vivae et Petroselini, Armoracia et baccis Juniperi in auxilium vocatis, die XVII. Novembris nostra tandem morti succubuit.

Ex abdomine sectione cadaveris aperto viginti fere librae seri, sanguine tincti, effundebantur, tum peritoneum crassum, sed laxum et interna superficie livida pigmento atro conspersum, in regione gastrica vero et hypochondriis corpus peregrinum nigricans, ad aspectum maxime foedum, tuberculosum, erosum et pure sanieque tectum, quod crassitie circiter unius, latitudine trium et longitudine septem pollicum gaudebat et ventriculum abscondebat, se nobis obtulit. Accuratius instituta exploratione, hoc ex hepatis parte anteriori, accreto omento et membranis spuris destructis exortum esse, vidimus; posterior jecuris pars discolor et mollis apparebat, vesica fellea minima, rugosa vix drachmas duas bilis tenuissimae aquosae continebat, lien parvum et densum membrana spuria involutum, pancreas durum colore subfusco tinctum, lividorum intestinorum, praecipue tenuium, tunicae maxime crassae, mesenterium discolor, aequè crassum, tuberculis, materiam puriformem includentibus, obsessum, viscera singula autem hinc illinc filamentis concreta, orificium uteri callosum et ovaria magna humore partim purulento partim seroso repleta erant. In regione umbilicali e mesenterii parte postica corpora duo globosa majora fusca, materia fibrosa, sanguinem coagulatum includentia, efformata prominebant. Thorace aperto, pulmones colore marmoreo gaudentes pleurae et pericardio accretos invenimus. Lobus superior sinistri tumens et densus, ex incisionibus ichorem effundens, tubercula suppurata continebat. Pericardium duas fere seri uncias et cor medii voluminis firmum et parietibus crassis praeditum includebat.

Epitaphis: Historiam jam communicatam propterea tantum in medium

protuli, quia exemplum destructionis quamplurimorum organorum, inflammationis vi inductae et hydropis finitae, offert, et quantum ad gradum viscera sensim corrumpi possint, priusquam extinguatur vita, monstrat.

18) *Ascites a Stud. Med. de Muchau observatus.*

Sarubin, piscator nationis rossicae, tricesimum sextum aetatis annum agens, e longo tempore diarrhoea laborans, sub finem anni 1810ccccxix. in hydropem inciderat, qui fumigiis stramenti incensi corpori admissis post quatuor septimanas fere rursus dissipatus fuerat. Interim mense Junio anni 1810ccccxx. in eundem noster morbum reciderat, qui absque auxilio artis denuo evanescebat sub finem mensis Julii denuo pertinacior redierat. Auxilium nostrum sequenti mense efflagitans aegrotus primo pulveres ex herba Digitalis purpureae domi sumendos accepit et, incassum hisdem adhibitis, die IV. mensis Sept. in nosocomium ipsum receptus est. Habitus ejus tunc pallidus et cachecticus, venter tumens etensus, cutis praecipue in pedibus oedematosa sicca, excretio urinae imminuta, alvi crebra, appetitus deletus, et pulsus duriusculus non acceleratus erat. Hinc altera die paracenthesin abdominis, qua viginti fere librae seri evacuabantur, suscepimus, tum solutionem extracti Trifolii et Ammonii muriatici in aqua Menthae et infusum baccarum Juniperi propinavimus, quo facto aegrotus levamen sentire et appetitus augeri coepit. Quum vero parum urinae adhuc secederet, a die VII. Sept. omni trihorio Digitalis purpureae granum dimidium interponi et abdomen unguento mercuriali inungi praecepimus. Excretionem urinae post usum horum remedium nondum promotam, abdomine denuo fluctuante et pulsu fortiori persistente, die IX. ejusdem mensis venaesectionem instituere et ventri oleum olivarum tepidum applicare, a die XI. Sept. autem Digitalis purpureae granum integrum cum Hydrargyri muriatici mitis dimidio, et diarrhoeae causa, tincturae thebaicae guttus duabus, exhibere non dubitavimus. Effectus spei egregie respondebat; die XIII. ejusdem enim urinae profluvium largissimum exortum erat. Interim affectio gingivarum in conspectum veniens et alvi dejectio copiosa nunc a mercurii usu jam abstinere et interne Digitalem solam cum Opio, externe vero, promovendae perspirationis gratia, balneum tepidum adhibere nos commovit. Sequenti tempore dosis herbae

Digitalis, omni trihorio cū solutione extracti *Cascarillae* et *Natri carbonici* exhibitae, ad tria grana usque augebatur, et, fugatis salivationis prodromis, frictiones mercuriales quoque balneaque tepida, cum sale communi praeparata, repetebantur. Quorum remediorum usu appetitum augeri, diarrhoeam imminui, secretionem urinae rite procedere, sudorem excitari et hydropem sensim evanescere vidimus ita, ut aegrotus, diutius in nosocomio versari recusans, die XXVII. Septembris domum remitti posset.

Epicrisis: Quamquam in hoc aegrotō hydrops e perspiratione cutis per negotia consueta continuo suppressa, absque inflammationis signis, exortus esse videbatur, successus curae tamen, exhalationem seri auctam magis in causa fuisse, quam resorptionem impeditam, docebat, urina enim, instituta demum venaesectione, praecipue sub usu mercurialium ad salivationis prodromos usque exhibitorum, copiosa excernebatur, saltem ultimum hoc remedium majorem in promovenda secretionē illa effectum edebat, quam *Digitalis* purpurea magna in dosi adhibita, quamquam et hanc ad restituendam sanitatem symbolam suam contulisse non negaverim. Memoratu ceterum dignum esse videtur, hanc herbam, vel ad tria grana propinatam, neque digestionem laedissem, neque pulsum mutasse, neque cerebrum ulla ratione affecisse.

19) *Hydrops Anasarca a Stud. Med. Hoepfener observatus.*

Fedor, vir robustus, triginta septem annorum, stirpis rossicae, qui ex anno, absque momento causali evidente, saepius doloribus capitis et dorsi rheumaticis vexatus fuerat, tandemque in anasarca inciderat, elapsis aliquot septimanis, die XVI. Aug. anni 1809. scholae clinicae traditus est. Symptomata morbi praeter tumorem cutis universalem tunc occurrentia fuerunt haec: pallor faciei et temperatura superficiei imminuta, levis abdominis fluctuatio, lassitudo magna, cephalalgia, dolores dorsi, lumborum et crurum, oppressio pectoris et hypochondriorum, praecipue dextri, cum dyspnoea, appetitus deletus et urinae secretio impedita. Pulsus interim normalis non acceleratus erat. Malum rheumaticae indolis esse, e vitae genere aegroti conicientes, ad promovendam perspirationem cutis et urinae secretionem, quater per diem Sulphuris stibati aur. granum unum, et radicis *Scillae* grana duo praebere, dorsum et abdomen oleo *Terebinthinae* inungi, potui tepido autem

Tartarum depuratum addi et crura fasciis involvi curavimus. Proximis diebus sub aucta urinae et alvi excretionem tumor insigniter jam decrecebat, oppressio hypochondriorum vero, in primis in regione hepatis dolente, et anorexia continuabat; hinc die XVIII. Aug. locum affectum unguento mercuriali camphorato fricari, ceterum in omnibus continuari jussimus. Successus spem nostram superavit, elapsa enim septimana, cephalalgia tandem quoque sinapismis cervici impositis fugata, morbus jam superatus erat, idque urinae profluvio praecipue aucto, tum alvi dejectione crebriori. Restaurandarum virium digestionis causa nunc ad usum tincturae Absinthii, interpositis tamen nonnullis dosibus radice Scillae, accessimus et I. Sept. die aegrotum omni ex parte restitutum dimisimus.

Epicrisis: Num in hoc casu affectio hepatis subsuit? Videtur. Oppressio praecordiorum enim, in latere dextro major quam in sinistro, dyspnoea, digestio laesa et dolor capitis rem probabilem reddebant. Ceterum, si locum habuit, certe non inflammatoriae, sed rheumaticae indolis fuit, ideoque citius superabatur.

20) *Hydrops Anasarca a Stud. Med. Kupffer observatus.*

Lieso, femina caelebs, tricesimum primum aetatis annum aegens, esthona, quae sub finem anni 1809. in schola nostra tractata pleuritidem spuriam feliciter superaverat, mense Septembri anni 1810. post refrigerium repetitum, febricula, tussi, dyspepsia, lassitudine, doloribus artuum, et abdominis correpta fuerat, qui post concussionem corporis e lapsu in latus dextrum increverant, quibusque, elapsis aliquot septimanis, oedema pedum sensim ad abdomen ascendens supervenerat. Die XI. mensis Decembris, in institutum nostrum altera vice recepta, febre quidem libera, sed hydrope cutis universali affecta erat. Dyspepsia et impedita perspiratio cutis primo vomitorium e radice Ipecacuanhae, tum infusum florum Sambuci cum liquore Ammonii acetici et Spiritu nitrico-aethereo ipsi praebere, tussis sinapismum pectori imponere et insigne oedema pedum fisdem funum succia admittere nos commoverunt, quo facto cutis et renum secretio magno cum levamine aegrotae augeri coepit. Adjuvimus nunc sudorem adhaec balneis.

tepidis et vino antimónii mixturae adjecto, et aegrotam hac methodo die XXIV. Decembris restitutam vidimus.

Epicrisis: Successus hujus curae aeque ac praecedentis veritatem affirmat, hydropem in corpore vitiiis organicis nondum laborante plerumque facile vinci, si modo justam eligas methodum. Contigit nobis vel longe gravioribus in casibus malum brevi compescere, praecipue ubi ex inflammatione enatum celeri passu progrediebatur. Mentionem faciam unius tantum aegroti, qui ambulans in schola nostra auxilium petiit, sed incremente malo privatos inter parietes tractari debuit. Hic intra paucos dies in hydropem universalem, qui febrem acutam, e laesione capitis per lapsum ex alto exortam, sequebatur, cum tanta tensione cutis incidere, ut tumor durus digito non cederet. Asthina, jam ab initio eum vexans, brevi summum gradum ascendens, circulationem sanguinis intercipiebat et suffocationem minabatur. Nihilominus venaesectione larga instituta, tum Nitro et Tartaro depurato, tandemque Hydrargyro muriatico miti et herba Digitalis purpureae in auxilium vocatis, intra duarum septimanarum spatium feliciter restituebatur.

21) *Hydrops cerebri acutus a Stud. Med. Henning observatus.*

Fridericus, puer quinque annorum, constitutionis tenerioris, scrophulosus, die XXIV. Januarii anni c180cccx. nosocomio exceptus est. E relatione matris, eum ex duabus septimanis diarrhoeae obnoxium fuisse, ex quinque diebus autem valde debilitatum dyspepsia, dolore capitis et calore affectum decubuisse, et aliquoties per annum taeniae frusta et lumbricum edidisse, comperimus. Accuratori exploratione aegroti instituta, pulsum parum frequentem, respirationem acceleratam spasticam, temperaturam corporis normalem, sitim auctam, linguam subsiccam, dyspepsiam et diarrhoeam perstantem invenimus; praecipue autem sensorium commune affectum erat, dolore capitis enim vehementiori cruciatus puer, oculis ad superiora conversis et clausis nec non pupilla dilatata, in sopore jacebat et noctu delirabat. Diagnosi adhuc incerta primo digestionis laesae causa: Rec Croci orientalis ℥j inf. Aqu. ferv. q. s. Colat. ℥ijj add. Gummi arabici ℥ijj S. Omoi bihorio praebentur cochlearia caldaria duo, praescripsimus, ad juvandam nutritionem jusculum carnis cum vitello ovorum exhibuimus et, levandi capitis gratia, suris

sinapismos imposuimus. Altera die aegrotus, reclinato capite et oculis ad superiora conversis jacens, majori sopore oppressus, saepius clamorem acutum et stridorem dentium edebat; pulsus parvus valde acceleratus, respiratio frequentior magis spastica, cutis frigidiuscula, lingua sicca, sitis magna, diarrhoea autem paullo imminuta erat. Inflammationem membranarum serosarum cerebri cum aucta exhalatione suspicantes capiti nunc fomentationes frigidas et cervici vesicatorium imponi, trunco unguentum hydrargyri cinereum infricari et interne infusum radicis Valerianae herbaeque Digitalis purpureae propinari curavimus. Postridie demum mater pueri, eundem diarrhoea jam correptum lapsu humi prostratum fuisse retulit, ideoque, suspitione nostra confirmata, temporibus quatuor hirudines applicuimus, temperaturae cutis imminutae causa unguento mercuriali Camphoram et oleum Juniperi addidimus, remediis internis vero Moschi omni bihorio granum interposuimus. Die XXVII. Jan. paullo tranquillior et, stridore dentium jam cessante, sui magis conscius aeger esse videbatur; ceterum symptomata erant eadem. Die sequenti remediis prioribus vesicatorium capitis parti summae impositum adjunximus, quo facto diebus proximis sopor cessare et respiratio liberior reddi coepit. Die 1. Febr. habitus longe melior, pulsus paullo rarior, lingua humidior et appetitus increscens, debilitas autem adhuc summa observabatur. Quisimus nunc Moschi usum et infuso Valerianae Corticem peruvianum adjecimus. Ex illo inde tempore febris cum ceteris morbi symptomatibus, sub praecipitatione crystallorum minorum coloris rufi ex urina, sensim magis magisque evanescebat; quare in usu remediorum roborantium perseveravimus et, quam tussis accessisset et diarrhoea recrudesceret, neglectis fomentationibus frigidis et frictionibus mercurialibus, capiti unguentum saponatum camphoratum illevimus, versus noctem vero tincturae thebaicae guttas tres propinavimus. A die VI. ejusdem mensis cephalalgia etiam cessaverat, et, diarrhoea decocto Cascariillae et tinctura Opii tandem quoque fugata, aegrotum in decursu mensis sub usu Tincturae aromaticae acidae plane restitutum videre nobis contigit.

Epicrisis: Objicere quis posset, hunc morbum non nisi febrem verminosam ideoque feliciter superatam fuisse. Interim, symptomata affecti cere-

brī post lapsum in caput in conspectum venientia et trium septimanarum spatio superata diagnosin vix dubiam reliquerunt, quamquam hydrocephalo acuto simplici nostrum laborasse contendere non ausim, quia concussionem capitis diarrhoea cum febre jam praecesserat.

g) Morbi chronici systematis nervosi.

1) *Concussio cerebri observata a Stud. Med. (nunc Med. pract.) Neumann.*

Maja, femina triginta annorum, robustae constitutionis, die XXI. Febr. anni MDCCCXVIII. ex loco novem fere pedes alto lapsu in terram prostrata per horam circiter sui non conscia jacuerat, quum ab amicis inventa ad cubiculum deportaretur. Post aliquot tempus resuscitata vomere coepit. Eadem die scholae clinicae tradita, in latere sinistro ossis frontis vulnus unius pollicis cum dimidio e contusione offerens, de maxima cephalalgia, tactu frontis increcente, doloribus pectoris atque dorsi, respirationem et motum corporis impredientibus, scotomate et phantasmatis variis nec non susurrū aurium querebatur. Functiones mentis et pulsus suppressus languescebant. Evacuata venaesectionis ope libra sanguinis, capiti fomentationes frigidas imposuimus et infusum foliorum Sennae propinavimus, altera autem die, continuatis fomentationibus frigidis, Hydrargyri muriatici mitis granum quater praebuimus. Die XXIII. Febr. qua, symptomatibus memoratis perstantibus, alvus adhuc constipata erat et dyspnoeae tussicula supervenerat, medicamento mercuriali reiterato, capiti quinque et pectori quatuor hiradines applicuimus. Tumorem quendam dolentem, in osse bregmatico sinistro exortum, cultro incidentes sanguine deplevimus, quo facto dolores et pectoris angustia levari coepit. Postridie aegrotā de calore noctis tempore perpresso, dolore supra orbitam et gravitate palpebrarum superiorum, oculos aperire vix permittente, querens interdum delirabat, vomituritiones contra fere evanuerant. Die XXV. Febr. tranquille transacta nocte, susurrus aurium et phantasmata fere evanuerant, alvus autem aliquoties fuerat laxata. Praescripsimus nunc: Rec. Rad. Arnicae et Radicis Valerianae $\bar{a}\bar{a}$ $\bar{\beta}$ Inf. Aqu. font. ebull. q. s. Colat. $\bar{\zeta}$ vjjj add. Spir. sulph. aeth. $\bar{\zeta}$ jj S. Omni bihorio propinetur cochlear cibarium,

et pectori Emplastrum piceum imposuimus. Sub usu remedium istorum continuato, ineunte mense Martio, symptomata morbi quidem omnia sensim evanescebant, sed dolores rheumatici in dorso et extremitatibus accedebant, quare fomentationes frigidas a die III. ejusdem removimus et temporibus vesicantia imposuimus. Sublatis his quoque molestiis, instaurandarum virium causa, non nisi tincturam aromaticam acidam in auxilium vocavimus et aegrotam fere restitutam vidimus, quum die IX. Mart. clamore et aspectu aegrotae epilepticae terrefacta concideret et paroxysmo febrili cum horrore, cephalalgia, gastrodynia, sudore universali tandemque nausea et vomitu, incedente corripereetur. Finito accessu sensus frigoris, sudoris tempore quoque perstans, continuabat, et pulsus parvus acceleratus manebat. Exhibuimus quidem sine mora infusum Valerianae cum acido sulphurico, nihilo tamen secius aegrota altera die in gravem soporem inciderat, quo oppressa ad nullam quidem quaestionem respondebat, motibus artuum vero dolores pectoris et capitis prodebat; pulsus parvus eodem tempore minus acceleratus erat et cutis modice madebat. Quum die sequenti sopor absque ulla pulsuum frequentia continuaret, exsudationem in cerebro timentes Hydrargyri muriatici mitis grana tria ter per diem praebere et vertici rasae magnum vesicatorium imponere decrevimus, quo facto nostra die XII. Mart. sopore maxima ex parte cessante, sanguinis circulatione autem magis languente, denuo de dolore premente supra orbitas, motu bulborum oculi impedito et gastrodynia querebatur; ceterum, quid ex illo tempore, quo terrore concussa fuit, ipsi acciderit, plane nesciebat ita, ut eandem adhuc diem agi crederet. Postridie, quum vomitus, sumto remedio, exortus esset, dosin ejusdem ad dimidiam, postea ad quartam partem quidem imminuimus, nihilominus die XIV. Mart. nausea continuabat, dolor capitis vero cessabat. Hinc, omisso mercurii usu, infusum Valerianae cum spiritu sulphurico aethereo, alvi constipatae causa vero die XVIII. Mart. infusum foliorum Sennae propinavimus, tandemque curam tinctura aromatica acida absolvimus ita, ut die XXIV. ejusdem aegrota sanata dimitti posset.

Epicrisis: Quamquam pulsus in decursu morbi descripti regularis observabatur, e symptomatibus gravioribus tamen lapsus illico sequentibus

cerebrum nisi effusis humoribus oppressum, saltem valde concussum esse collegimus, ideoque sanguinis impetum omni modo compescere studuimus. Vix autem inflammationem avertere et humores forte effusos resolvere nobis contigerat, quum sensorium commune, adhuc debilitatum, pathemate animi denuo vehementer concuteretur, statusque pristinus reduci videretur. Quae affectio, quum congestionem humorum a vasis et fibris nerveis difficiliter sustinenda niti videretur, remediis nervinis orgasmum arteriarum mitigantia et derivantia adjungere nos commovit. Successus curae voto egregie respondit, brevi enim morbum recidivam quoque omni ex parte superatum vidimus.

2) *Apoplexia nervosa a Stud. (nunc Doct.) Med. Thoerner observata.*

Maria, femina extra matrimonium vivens, macilenta, triginta fere annorum, die XXVI. Jan. anni c1860 scholae clinicae tradita, ante hebdomadem post refrigerium febre cum cephalalgia, pectoris dolore, tussi, appetitu deleta et lassitudine magna correpta fuerat. Die quinta morbi (XXIV. Jan.) in apoplexiam, idque sine causa evidenti, inciderat, postquam catamenia tribus septimanis ante rite adhuc apparuerant. Symptomata ex illo tempore constantia, quum in nosocomium reciperetur, haec fere invenimus: faciem pallidam, collapsam, cutem turgore carentem, frigidam, pupillam dilatatam, os clausum, sensum aboletum, pulsum parvum, debilem et rarum, respirationem rhonchissantem et lentam, artus in latere sinistro interdum convulsos, in dextro paralyticos, deglutationem maxime impeditam, alvumque constipatam. Quum apoplexiam hanc nervosae indolis esse appareret, statim ad methodum excitantem confugiendum esse duximus, ideoque infusum radicis *Serpentariae* virg. et florum *Arnicae* cum Spiritu sulphurico-aethereo praescripsimus, aegrotam balneo tepido immisimus, capiti et dorso liquorem *Ammonii causticum* cum tinctura *Cantharidum*, suris *siuapismos* et ano clyisma e *Tartaro emetico* praeparatum applicuimus. Altera die habitus, pulsus, respiratio et temperatura corporis statum meliorem indicabant, interim aegrotata sui non conscia et paralytica adhuc jacebat. Remediis pristinis nunc veicatorium ad cervicem addidimus, balneumque reiteravimus. Die XXVIII. Jan. symptomatibus memoratis respiratio stertens, pulsus valde acceleratus,

et calor cutis maxime auctus accesserat, quare periculi causa venaesectionem parvam instituius et balneum cum Kali carbonico adhibuimus. Nihilominus febris increvit, motus convulsivi in latere sinistro minores redierunt et die XXIX-Jan. mane aegrotata, resolutione universali correpta, morti succubuit.

Cadavere dissecto duram matrem cranio firmiter adhaerentem, ossa calvariae variis in locis tenuissima, vasa meningum sanguine modice repleta, interstitia gyrorum hinc illinc substantiam gelatinosam flavescenscentem continentia, ventriculos sero paullulum scatentes, plexum choroideum turgentem, hydatidibus obsessum, tandemque thalamum nervi optici sinistrum in massam mollem pultaceam, a partibus vicinis facile abstergendam, mutatum invenimus.

Epicrisis: Quando desorganisatio medullae cerebri exorta fuerit, certo constitui nequit; relatio enim cognatorum aegrotatae maxime manca erat. Interim morbum praegressa ipsi ausam dedisse videtur. Num originem forte ex inflammatione praeteriti temporis duxerat, et ad majorem gradum evoluta demum symptomatibus sese prodiderat? Accretio durae matris et exsudationes lymphaticae in arachnoidea repertae sententiam hanc probabilem reddunt. Ceterum paralysis lateris dextri et convulsiones sinistri vitio illi locali tribuendae videbantur.

3) *Torpor universalis a Stud. Med. Henning observatus.*

Samuelis, rusticus esthonus, triginta quinque annorum, constitutionis mediae, e brevi temporis spatio in matrimonio vivens, die IX. Nov. anni 1810cccxix. nuntio, se castra sequi debere, subito terrefactus, in melancholiam incidit. Omnia nutrimenta respuens, tribus diebus post, exhaustus cubile relinquere non amplius potuerat, et a die XIV. Jan. inde vel usu vocis destitutus fuerat. Tali in statu nosocomio exceptus, e septimana somno, cibo, potu et alvi excretionem carens, macilentus, pallidus et stupidus jacuit. Cutis sicca et frigida, lingua arida et nigricans erat, pulsus vero minimus quinquaginta sex vicibus tantum in sexagesima micabat. Ad iustaurandas vires primo animum spe atque fiducia erigere studuimus, tum jusculum carnis, quod cum difficultate deglutiebat, obtulimus. Sequenti die, nutrimentis et somno paullulum reffectus et evacuatione alvi levatus, voce vix percipienda de dolo-

ribus in regione ventriculi, tactu non auctis, querebatur, ceterum debilitas tanta erat, ut membrum vix ullum movere et ne profundius quidem inspi-
 rare posset. Praescripsimus nunc: Rec. Cort. Winter. $\mathfrak{z}\beta$ Flor. Arnicae $\mathfrak{z}\text{ij}$
 Inf. Aqu. ferv. q. s. Col. $\mathfrak{z}\text{v}\text{ij}$ add. Liq. anod. m. Hoffm. $\mathfrak{z}\text{ij}$ TR Canthar.
 $\mathfrak{z}\beta$ M. S. Omni bitorio sumatur cochlear unum, praetereaue corpus spiritu
 Sinapeos lavari, potui autem vinum addere curavimus. Ex illo inde tempore
 appetitus et vires sensim increscere, habitus emendari omnesque functiones
 ad tramitem suum redire coeperunt. Dolor ventriculi contra ad regionem
 gastricam descendit, ibique sedem suam cum tensione quadam versus latus
 sinistrum fixit, et pulsus die XXL mensis ejusdem ad quinquaginta ictus
 retardatus est. Propterea abdomini cataplasmata emollientia applicuimus et in-
 fuso corticis Winter. et florum Arnicae magis concentrato tincturae Canthar.
 drachmam integram adjecimus. Quum vero dolor abdominis sub evacuatio-
 ne urinae augetur, quamquam stranguria aegrotus non laborabat, in locum
 mixturae julapium e Camphorae scrupulo, Gummi arabici drachma dimidia
 et Aquae communis uncis sex, omni bitorio cochleatim propinandum, sub-
 stituimus, lotionibus continuatis balnea saponata tepida adjicientes. Die
 XXVI. Nov. in latere sinistro juxta umbilicum tumorem non circumscriptum
 et immobilem, sub tactu et mictu dolentem, deteximus, qui quum in mus-
 culo recto sedem suam habere et inflammatoriae indolis esse videretur, un-
 guentum Hydrargyri cinereum applicare Camphoraeque dosim augere nos
 commovit. Ad finem mensis Novembris usque aegrotus in eodem fere statu
 versabatur, donec repente sub coena vertigine et vomitu bilioso cum leva-
 mine quodam dolorum corripereetur. Viam a natura indicatam sequentes
 die I. Dec. vomitorio e quindecim granis Ipecacuanhae exhibito, evacuatio-
 nem adjuvimus, a die III. Dec. vero denuo infusum florum Arnicae et radi-
 cis Serpentinae virg. cum spiritu sulphurico-aethereo, interpositis omni bi-
 horio Camphorae granis duobus, praebuimus, abdominique sinapismum appli-
 cuimus. Nihilominus pulsus proximis diebus magis languere coepit ita, ut
 arteriae tono suo orbatae in diastole longa duas quasi sanguinis undas du-
 cere viderentur. Tum de dolore capitis pectorisque obtuso, insomnia et
 appetitu magis deleto querens aegrotus diarrhoea cum collapsu abdominis

insigni vexari coepit, quare a die VII. Dec. flores Arnicae cum radice ejusdem commutare et cuiusvis infusi dosi tincturae thebaicae guttas duas adjicere, abdomini vero, omisso unguenti mercurialis usu, cataplasinata aromatica imponere decrevimus. Successus voto respondit; cum appetitu enim vires increverunt, pulsus vigorem recepit et, Camphorae dosi a die IX. Dec. ad grana tria aucta, extractoque Trifolii in infusum addito, dolores pectoris atque abdominis cum tumore evanuerunt, respiratio autem cum vocis usu liberior reddita est. Die XIII. Dec. noster lectum relinquere valuit. Jam, cum hilaritate animi redeunte, frequentia pulsuum quoque increvit ita, ut die XIV. Dec. sexaginta quinque, sequenti autem die vel septuaginta duo ictus in sexagesima horae parte numerarentur. Tandem, sub usu decocti Cascariillae et balneorum aromaticorum vegetatione quoque emendata, die XX. Dec. aegrotus, in integrum restitutus, e nosocomio dimissus est.

Epicrisis: Descriptus morbus faciem non consuetam prae se ferebat; e commotione animi deprimente enim exortus non solum sensibilem sed vegetabilem quoque sphaeram pari gradu turbaverat et paresin fere universalem precreaverat. Nihilominus methodo tum psychica cum somatica excitante feliciter haec superabatur. Unde vero tumor abdominis, sub evacuatione urinae praecipue dolens, exortus fuerit, non liquet. Sedem in musculo recto sinistro habere et intentione ejus sub excretionem illa maxime provocari videbatur. Num vero inflammatoriae potius an rheumaticae indolis fuerit? definire non ausim. Fortasse diarrhoea absque momento causali externo exorta, quamquam vires infringeret, metastasi quasi, ad morbum tollendum praeter ceteris contulit. Saltem memoratu dignum esse videtur, elapsis post ortum mali quatuor septimanis, alvum adstrictiorem subito fluere coepisse, indeque aegrotum celeri passu convalescere.

4) *Epilepsia a Doct. Med. Hasenwinkef observata.*

G. juvenis octodecim annorum, constitutionis debilioris, qui, pubertatis signa vix ulla prae se ferens et pilis in regione pubis barbaeque carens; aestate anni 1810ccccxix. coitum saepius exercuerat, die V. Sept. ejusdem anni subito vertigine, animique defectione cum convulsionibus, brachium dextrum praecipue occupantibus, et subsequente vomitu corripitur. Die VII.

ejusdem mensis aegrotum, potum coffeae in vasculum effluentem similis paroxysmus invadit, inter quem e cantharo abjecto potus fervidus per brachium dextrum defluens cutem late comburit. Medicus accersitus morbum vermicibus originem debere autumans, quia olim aegrotus tales excreverat, anthelmintica, ut radicem Valerianae, semen Cinae et Ferrum sulphuricum, ipsi praebet, quorum sub usu convulsiones epilepticae quidem, spuma ex ore protrusa et pollicibus retractis, sensu tamen non omni ex parte aboleto, alternis diebus redeunt, mox vero, interposito medicamento purgante e radice Jalappae et Hydrargyro muriatico miti, nec non extracto Hyoscyami et Ferro limato Valerianae additis, a die XVI. Sept. cessant, licet vermes in conspectum non venirent. Interea die XXII. ejusdem mensis aegrotum in platea obambulantem novus corripit paroxysmus, qui ex illo inde tempore quotidie octo vel duodecim vicibus reiteratur, et caput nunc magis nunc minus stupore opprimit. Incassum Cupro sulphurico-ammoniato, oxydo Zinci, radice Valerianae et foliis Aurantiorum in auxilium vocatis, morbus increpescens accessus convulsivos omni fere bihorio provocat, tandemque die II. Oct. paralysis brachii et III. paresin pedis dextri inducit. Tali in statu aegrotus die IV. Oct. scholae clinicae traditus est. Paroxysmi tunc plerumque his per horam redibant et per temporis minuta quaedam continuabant. Praecedebat aura epileptica a brachio paralytico dextro per pectus et collum cito diffusa convulsionibus, praecipue in latere sinistro faciei et totius corporis saevientibus, finita. Aegrotus eodem tempore, volutis luminibus obliquis et pulsu maxime suppresso, prae dolore in femore et inguine sinistro clamorem inconditum tollebat, quo facto, sopore quidem non oppressus, stuporem quandam, apathiam et oblivionem prodebat. In intervallis pulsus paullo acceleratus et debilis, facies pallida, uterque oculus circulo livido circumdatus et lassitudo magna erat, simulque aegrotus dolore capitis spinaeque dorsi tendente cruciabatur. Digestionis laesae causa curam a vomitorio e radice Ipecacuanhae incepimus, tum per duos dies omni bihorio tincturae Valerianae aethereae guttas viginti et a die VI. Oct. inde totidem solutionem drachmarum duarum extracti Cascariillae in aquae Menthae pip. uncis sex coctileatim, interpositis tribus vicibus Camphorae granis duobus, propinavimus,

simulque quotidie balneum quatuor uncias cinerum clavellatorum cotinens et clystina cum *Asa foetida* praeparari, loco ambusto autem ceratum Saturni applicari iussimus. Elapsis duobus diebus paroxysmi rarius quidem corpus concutiebant, sed praeter brachium nunc pes quoque paralysi plane immobilis redditus erat. Quum eodem tempore dolor capitis et vomitus, quem aegrotus *Camphorae* usui tribuebat, supervenisset, hanc in forma linimenti dorso tantum et extremitatibus infricari, interne infusum *Calami aromatici* et corticum *Aurantiorum* cum *Spiritu sulphurico-aethereo* praeberi, genitalibus autem fomentationes frigidas imponi curavimus. Die IX. Oct. aegrotus, post noctem quietius et sub levi tantum subsultu membrorum transactam, non nisi novem accessus epilepticos perpessus est, quo facto audita hora quinta pomeridiana tremor brachii dextri, post balneum quoque continuans, cum pulsum frequentia ad centum ictus aucta invasit. Clavi ferrea manui adnota tremor in rariores motus spasticos leviores transit, remota autem rediit, nec paroxysmo, hora nona exorto, sublatus est. Hinc clavem manui applicatam et cochlear argenteum scrobiculo cordis impositum contactu junximus et denuo tremorem in motus convulsivos leviores, post horam cum dimidia finitos, conversum conspeximus. Sequenti nocte aegrotus satis bene, duobus tantum paroxysmis expergefactus, dormiebat et die proxima pulsus octoginta quinque modo vicibus micans observabatur. Ex illo inde tempore, sub usu remediorum continuato, accessus tantummodo bis vel ter per diem redibant et pes paralyticus rursus moveri incipiebat; interim aegrotus saepius dolore capitis fugaci et vomitu vexabatur, quare capiti fomentationes frigidas imponi, accedente nausea *Magnesium* cum acido *Tartari* praeberi et corpus spiritu *Sinapeos* lavari imperavimus. Nihilominus, licet paroxysmi convulsivi a die XII. Oct. plane cessarent, cephalalgia periodica cum vomituritione perseverabat, et die XIII. Oct. erectiones penis crebriores cum pollutionis vestigiis reperiabantur. Propterea diebus proximis, fomentationibus capiti et genitalibus sedulo adhuc applicitis et balneis kalinis adhuc institutis, infusum *Corticis peruviani* cum *Aethere acetico* propinare non dubitavimus. Frictiones contra camphoratas, nec non in locum eorum ultimo tempore substitutas phosphoratas, omisimus, quia odor earum, aegrote

maxime molestus, vomitionem provocare videbatur. Jam vires sensim magis magisque increverunt ita, ut pedibus aeger satis commode uti posset, et die XVII. Oct. vel brachium rursus moveri coepit. Sub usu remediorum tonicorum nunc in dies magis convaluit et die XXVII. ejusdem mensis, debilis quidem et absque consilio nostro, iter cum successu ad urbem Petropolim suscepit.

Epicrisis: Quamquam aegrotus onaniae deditus non fuerat, coitus tamen, pubertate nondum absoluta, exercitus tantopere systema nervosum affecisse videbatur, ut dirus ille morbus in conspectum veniret; alia enim momenta causalia detegi non poterant. Hinc curam causae memoratae adaptavimus, idque non sine successu. Post breve tempus tamen, nostrum Petropoli denuo convulsionibus correptum et mortuum esse, audivimus. Ceterum in historia morbi descripti metallorum vis in sedando tremore attentione non indigna fuit.

5) *Scelotyria a Stud. Med. Werther observata.*

Mally, rustica esthona, quinquagesimum aetatis annum agens et catameniis adhuc gaudens, quae in matrimonio vivens decem infantes, eorumque ultimum ante quatuor fere annos, pepererat, viginti annis ante ex moerore in hemicraniam per aliquot dies continuantem, et ex illo tempore omni quarta vel quinta septimana cum appetitu valde aucto redeuntem, inciderat. Fortasse ictus quoque capiti eodem fere tempore illatus ad malum procreandum symbolam contulerat. Aestate anni 1818cccxviii. malum increscens nostram ad implorandum auxilium vetulae compulerat, quae species ignotas pro decocto ipsi exhibuit. Hoc ab initio mensis Junii ad finem Julii usque usa aegrota menstruationem cessare et cephalalgiam, antea periodicam, nunc continuare et tantum gradum ascendere sensit, ut desperans et mentis non plane compos interdum per silvam vagaretur. Hic sub finem Julii accidit, ut convulsionibus corripereetur, postea perpetuo repetitis. Vetula denuo consulta nostrae nunc aliud decoctum e cortice Salicis, radice Bardanae et Chelidonii majoris, nec non pulveres, usque ad medium mensem Novembrem ter quotidie sumendos, obtulit, quorum sub usu catamenia redierunt, simul autem salivatio in conspectum venit ita, ut hydrargyrum in iisdem

contentum fuisse dubitari non posset. Cephalalgia nunc paullo remittente, primo dolores artuum vagi, tum colici per quatuor septimanas vel noctis tempore saevientes exorti sunt. Tandem sub finem anni profluvium sanguinis ex utero ad medium usque mensem Martium sequentis anni continuans supervenit. Qua in periodo spasmi formam choreae St. Viti nacti sunt ita, ut membra miro modo jactarentur et contorquerentur, simulque sensibilitas aegrotae ad tantum pervenit gradum, ut attactum aliorum levissimum perferre non posset, quin doloribus et convulsionibus vexaretur. Praeterea sponte non raro lingua, praecipue noctis tempore, rigida fiebat ita, ut aegrotata ne verbum quidem pronunciare valeret. Die XX. Mart. anni c180ccccxix. pallida, macilenta et exhausta in nosocomium recepta, stillicidio sanguinis quidem non amplius laborabat, sed doloribus colicis cruciata corpus erigere non potuit et spasmis convulsa timide ex altero cubiculi angulo ad alterum latitatum ivit. Pulsus tunc parvus et maxime debilis, ceterum vero regularis erat et functiones systematis reproductivi rite procedebant. Ingens aegrotae sensibilitas statim vim magnetismi animalis experiri nos commovit. Mirus ejus fuit effectus. Digitis enim fronti et temporibus admotis primo caput, oculis clausis, concussum, tum totum corpus agitatam, tandemque sternutationem provocatam vidimus; attactu regionis epigastricae pectus inspirationibus longis dilatari, intestina circa umbilicum in forma globi contrahi, tandemque totum corpus convelli coeperunt. Quamquam vero e gemitu edito et vultu luctuoso eandem doloribus cruciari conjiceremus, ipsa tamen tum digitis meis capite occurrebat, cum attactum scrobiculi cordis propria manu adjuvabat. Digitis in anteriori parte a capite ad pedes (*à grands courants*) diductis, corpus tum stantis cum cubantis aegrotae extendi et elongari, eadem vero operatione in dorso repetita, erigi et rotari coepit. Deinde nausea quasi correpta multum salivae ejecit et manum dextram jactavit, ac si a sordibus adhaerentibus liberari cuperet. Interrogata postea, quare hoc fecisset? os, respondit, decocto olim sumto repleti sibi visum, indeque nauseam excitatam esse. Tandem attactu repetito, gemens et lacrymas fundens, in exstasim incidit, sub qua voce clara pectoreque fervente preces longas recitavit. Altera die somno tranquillo se refectam confessa et spei

plena motibus spasticis rarius vexabatur, quare magnetismi animalis usum continuare decrevimus. Periculis quibuedam factis, attactum digitorum ope vehementissime in eam agere vidimus, interim appropinquatio eorum in distantia quadam et vel adspectus constans eandem in stuporem quendam cum convulsionibus vagis iniecit, sub quo neque oculos aperire neque verba proferre valuit, quamquam non dormiret, et aliorum sermones intelligeret. Volis manuum contra a capite ad pedes deductis tranquillior reddi videbatur, et, quamvis hac quoque operatione vicissim motus spastici et dolores capitis artuumque vagi, genitum provocantes, excitarentur, eadem tamen egregie se refici contendeat, ideoque lubentissime ipsi se subiciebat. Silentio praeterire non possum, statu magnetico provocato, praeter alias substantias praecipue metalla maximam vim in aegrotam habuisse ita, ut corpori admota convulsionem, membra varia modo jactantes, cicerent. Sic v. c. coenans orbem e stanno praeparatum, more solito absque effectu tractatum, tangere non amplius potuit, quin convulsionibus corripere, simulac oculis in eam defixis statum memoratum provocaveram. Majorem adhuc effectum speculi adspectus producebat, dum oculos claudere et caput sub spasms avertere eam coeret. Aqua vi magnetica impraegnata contra ei gratissima erat et cum vino coenae sacrae ab ipsa comparabatur. — Manuum ductus a capite ad pedes directos prae ceteris nostrae salutares esse experientia edoctus, quotidie bis hac methodo eam tractare apud animum constitui. Consilium exsequens brevi morbum magis magisque imminui, habitum aegrotae emendari viresque increscere vidi ita, ut, functionibus omnibus rite procedentibus, a mense Julii, levioribus tantum spasms absque dolore interdum agitata, obambulare et negotiis in horto fungi posset. Grato animo cognatis, quam miratione, javante Deo, sine medicamentorum usu, a malo duro et pertinaci liberata fuerit, referens die XXII. Jul. tandem domum reversa est. — Si gloriolae dare quid vellem, enarrationi hic finem facere possem, sed veritatis studiosus, quid elapso tempore quodam acciderit, tacere non possum. Die I. Sept. ejusd. anni nimirum aegrotam morbo recidivo, licet mitiori, ad institutum nostrum rediit. E relatione ipsius, prima septimana post abitum eam bene sese habuisse, deinde mane levioribus membrorum doloribus

vexatam, tandemque somnolentia et lassitudine correptam fuisse comperimus. Nihilominus, catamenialis bis rite apparentibus, per quinque hebdomadam spatium in agricultura occupata fuerat, donec dolores capitis et artuum cum scelyrbe redirent. Per mensem nunc magnetismo animali eam denuo tractare tentavi, sed incassum, quamquam attactus et adspectus meus eam valde moveret. Fortasse valetudo propria tunc temporis infirmior, fortasse quoque concursus spectatorum, minus strenue prohibitus, in causa fuit. Itaque a die VI. Oct. tincturae Valerianae aetherae guttas quindecim quater per diem, et, quum sub usu ejus spasmi increverent, ad die VIII. ejusdem mensis acidi hydrocyanici concentrati totidem vicibus guttas tres ipsi praebuimus. Interim aegrotata pejus sese habere contendebat, quod partim suorum desiderio, partim instanti menstruationi, quae postridie in conspectum venit, et ab usu medicamentorum abstinere nos commovit, tribuendum esse videbatur. Cum fluxu menstruo convulsiones increcebant et animi alienatio quaedam superveniebat, sub qua interdum sui non plane conscia et adhortationes nostras negligens in terram prostrata volutabatur. Catamenialis finitis, quum aegra in eodem statu maneret et medicamentorum usum respueret, caput et dorsum aqua frigida perfundere decrevimus. Factum hoc est die XVI. Oct. dum sedebat in solio aqua tepida repleto. Sub operatione aegrotata lamentans tremoribus concutiebatur, postea autem, spasmi rarius vexata, quiescebat. Quatuor vicibus, diebus alternis, haec operatio repetita eundem effectum edebat, quinta autem vice aegrotata ad balneum adducta timens et renuens convulsionibus corripiebatur. Interim promisso, nos aquam tepidam adhibitoros esse, placata anuebat. Perfusionem nunc instituiamus cum aqua temperaturae viginti graduum thermometri Reaumuriani, quam nostra patienter tolerabat, eamque postea aliquoties adhuc repetivimus. Quum vero status aegrotatae eadem non emendaretur, ipsaque operationem magis magisque aversaretur, incepto tandem abstinimus. Mox, ineunte mense Novembri, catamenia rursus apparebant, quibuscum alienatio mentis characterem mutabat; aegrotata enim, hucusque tranquilla, modesta et morigera, nunc iracunda et contumax reddita, adstantes convitiis praeindere et die XIII. Nov. vel obscene joculari coepit. Tum, vi se stupratam esse, contendens de ignominia

clamorem tollebat et hac ratione die XVIII. ejusdem mensis, vel per noctem, voce clara delirare continuabat. Spasmi extremitatum interea imminuti erant et choreae St. Viti formam non amplius prae se ferebant. Frustra radicem Belladonnae cum oxydo Zinci et vesicatoria nunc in auxilium vocavimus; omnia enim detrectabat et respuebat. Tandem die XIX. Nov. adventu cognatorum paullo tranquillior reddita, domum redire ardentem desiderabat, se summo dedecore affectam in instituto nostro diutius commorari non posse, affirmans. Eventum bonum sperantes nunc domum eam dimisimus. Nihilominus alienatio mentis non imminuebatur, inter suos enim pejus sese habens aegrotam marito perpetuo maledicebat et eodem jam mense bis ad scholam clinicam rediit, ut denuo reciperetur enixissime rogans. Quum vero locus ei concedi non posset, simulque ipsa usum remediorum oblato- rum recusaret, cum vesicatorio nuchae applicato ad pagum eam remisimus. Ex illo inde tempore, quid ei acciderit, nobis compertum non fuit, quamquam maritum hortati eramus, ut interdum de decursu morbi certiores nos faceret, donec ipsa vere anni sequentis aliquando ad nos reverteretur. Convulsionibus tunc quidem maxima ex parte libera erat, sed melancholica et iners negotia domestica omnia negligebat. Tandem vero, sub usu lavationum capitis spirituosarum ad finem anni mentis sensim magis compos facta est et nunc jam, doloribus vagis et motibus artuum spasticis quidem vexata, sed sui conscia, sedulo, licet dejecto animo, muneribus suis rite fungitur.

Epicrisis: Rarum exemplum choreomaniae, ex hemicrania longa male tractata, provecta demum aetate, evolutae, historia haec offert et variis e rationibus memoratu digna esse videtur. Primo enim salutaris vis magnetismi animalis, quo in decursu quatuor mensium malum superatum vidimus, quamvis somnambulismus non in conspectum veniret, eadem confirmatur, praecipueque partim ecstasis partim receptivitas singularis, admotis substantiis peregrinis sese exserens, notanda fuit. Deinde, morbo recidivo, operatione illa denuo, sed (forte culpa nostra) incassum in auxilium vocata, metaschematismus, alienatione mentis stomachosa sese prodeus, oculos in se convertat, necesse est. Cum remissione spasmorum nimirum mores aegrotae mutari coeperunt. Nam delirio tunc observato

libido cum pudore conjuncta forte subfuit? Ita videtur. Tandem, quanta in vesania, cum sensibilitate nimis aucta incedente, tractanda cautione ratione balneorum opus sit, historia nostra edocemur. Ideo aegrotas enim, se vi compressam fuisse, ex eo tantum exorta esse videbatur, quod solum intrans vestes exuere debuerat. Ceterum restituta quoque tantam adhuc receptivitatem retinuit, ut digitis a nobis tacta leviter semper convelleretur.

6) *Asthma spasmodicum a Stud, Sietmann observatum.*

Walker, fenestrarius triginta sex annorum, habitus pallidi et debilioris constitutionis, die IV. Aug. anni 1800 ex oppido *Arensburg* ad nos confugiens, de morbo suo haec fere retulit. Anno aetatis decimo sexto pneumonia feliciter superata, quinquennio elapso in arthritidem per septem annos durantem inciderat. Tum balneis sulphuratis a malo suo liberatus, duobus mensibus post, refrigerium perpassus, asthmate spasmodico affectus fuerat. Cujus paroxysmi periodice redeuntes primo per decem fere horas, sequentibus annis per viginti quatuor, tandemque per quadraginta et amplius eum vexare et quovis mense bis vel ter reiterari consueverant. Incipiebat accessus sensu lassitudinis in toto corpore cum horripilatione, intumescencia ventriculi, pruritu circa nares, et gravitate capitis, deinde dyspnoea cum anhelitu, orthopnoea et suffocationis periculum cum sudore frigido, pulsuque suppresso et accelerato sequebatur, tandemque paroxysmus aut repente aut sensim sensimque remittere solebat. In intervallis aegrotus libere respirabat, omnesque functiones corporis rite procedebant. Quum ex novem jam annis auxilium quatuor medicorum noster frustra imploravisset, variaque remedia tum sopientia et roborantia, cum evacuantia et derivantia tentavisset, statim ad usum medicamenti novi, acidi scilicet hydrocyanici, ex praecipis defuncti Professoris *Giese* parati, accessimus, cujus mane et vesperi guttas duas praebuimus. Sub usu hujus remedii, dosi vespertina aliquanto post ad tres guttas aucta, aegrotus, jam proximis diebus paroxysmum expectans, ad quartam usque septimanam adhuc ab omnibus molestiis liber manebat et XXVII. demum die Augusti levissimum et brevem tantum accessum, qui ne somnum quidem impediabat, perpassus est. Tunc bene rursus se habebat usque ad diem VII. Sept. quo versus noctem malum rediit et

postridie increvit. Dedimus nunc, quamquam aegrotus mane medicamento memorati tres guttas jam hauserat, meridiano tempore altera vice aequalem dosin, quo facto levamen maximum sensit, quamquam anhelatio et sibilus post mediam noctem demum omni ex parte cessabat. Sic paroxysmus longior priori, sed vix gravior rursus praeteriit. Auximus nunc dosin medicamento ita, ut noster mane tres, vesperi autem quatuor et tandem quinque ejus guttas acciperet. Interim jam die XIII. ejusdem mensis gravior tentatio invasit, quae altera die increscens aegrotum ad nos accedere compulit. Asthma nunc ad consuetum fere gradum adscenderat et cum sibilo magno, per stethoscopium cel. *Laennec* venti per rimas vitri penetantis instar percipiendo, incedebat. Bis repetita duarum guttarum dosis acidi zootinici parum levaminis afferebat, et vel galvanismus pectori applicatus per breve tantummodo tempus spasmum ex parte suppresserat, donec die XV. Sept. mane, haustis tribus guttis remedii, malum cessaret et in placidum somnum aegrotus incideret. Ex hoc tempore mane quatuor et vesperi sex guttas eum sumere jussimus et, quum instantis hiemis causa desideraret, die XXII. Sept. remedii uncia pro usu privatos inter parietes ei adhuc tradita, in patriam ipsi redire permisimus.

Epicrisis: Unde malum nostri originem duxerit, eruere non potuimus. Vitiorum organicorum signa in organis respirationis non aderant et ceterum aegrotus bene sese habebat. Num malum forte arthriticae fuit indolis, quum dolores artuum per septem annos continuantes sequeretur? Sed a balneis tepidis sulphuratis adhibitis talis metaschematismus procreatus esse vix potuit, et nunquam, malo evoluto, symptomata arthritica alia occurrebant. Ceterum silentio praeterire non possumus, aegrotum sedecim annis ante, doloribus extremitatum sese jam exserentibus, per aliquot menses in officina specularia occupatum fuisse, et malum magis in mediis membris, quam articulationibus, praecipue noctis tempore, sensisse, quamquam neque syphilitica neque alia affectio locum habuerit. Num ergo hydrargyri exhalationes fortasse ad gignendum morbum symbolam contulerant? Quod curam attinet, haec quidem non omni ex parte absoluta fuit; interim sub usu solius acidi hydrocyanici paroxysmus gravior intra duos menses una tantum vice rediit,

et postea quoque, quum rursus in patria aegrotus degeret, quam diu remedium adhibuit, accessus rariores et mitiores modo invaserunt, ac, consumto demum medicamento, denuo increverunt. Distantia loci et anni tempus medicamentum trans mare mittere tunc impediverunt, et, quid postea aegroto acciderit, non comperimus. Num malo, post abitum aegroti denuo incrementi, momenta causalia aut in domicilio posita, aut a diaeta pendentia, aut psychica forte subfuerint? nescio. Interim memoria dignum esse videtur, nostrum per tres septimanas in nosocomio ipso versanteum ab omni molestia liberum mansisse, dimissum vero et intra privatos parietes Dorpati, cum quinque aliis hominibus in eodem cubiculo, degentem brevi paroxysmo, licet leviori, denuo vexatum fuisse.

7) *Tussis spasmodica a Stud. Med. Hahn observata.*

Anna Schmidt, puella octodecim annorum, bonae constitutionis, ex aliquot annis tempore hiemali tussi chronica vexata fuerat. Mense Decembris anni 1800 e refrigerio in febriculam incidit, quae brevi quidem cessans tussim tamen pertinaciorē, duplici modo sese exserentem, reliquerat; partim enim ista formam consuetae siccioris e pulmonibus, partim spasticae latrantis e larynge prodeuntis induerat. Haec cum sensu titillationis aliquoties per diem rediens interdum per duas horas absque sputis continuaverat. Medicus in auxilium vocatus per quatuor menses nunc antiphlogisticis et derivantibus, nunc narcoticis aliisque antispasmodicis frustra adhibitis, die VII. Maji anni 1800 eandem ad scholam nostram clinicam obligaverat. Neque desorganisationis signa ulla neque perturbationes aliarum functionum detegentes statim ad usum acidi hydrocyanici accessimus et ter quotidie guttas duas, postea tres praebuimus, quo facto tussis latrans e larynge prodiens plane cessabat, sed communis ex irritatione pulmonum ipsorum originem ducens bis quotidie mane et vesperi, eodem fere tempore, redibat et non raro per horam et amplius continuabat, lassitudinem et cephalalgiam plerumque relinquens, ceterum functiones corporis plane non turbans. Volae manuum laryngi et cervici impositae magnetica vi paroxysmum quidem interrumpere solebant, nihilominus tempore consueto hic rursus in scenam prodibat. Die XX. Maji catamenia apparebant, ideoque

dosin medicamenti jam ad quatuor usque guttas, quater per diem sumendas, auctam ad tres reduximus, quo facto eadem die vesperi tussis latrans denovo redibat, sed applicatis manibus facile superabatur. Die XXIII. fluxus menstruus cessabat, quare dosin remedii denovo ad guttas quatuor auximus. Nihilominus paroxysmi matutini et vespertini tussis communis quotidie revertebantur, sed applicatione manuum a viro humanissimo Hahn, cui cura aegrotae credita erat, postquam applicationem galvanismi effectu carere experimento edocti fueramus, mitigabantur. Die XXVIII. Maji, ommissa operatione magnetica, tussis matutina per duas horas aegrotam vexabat. Hinc quater per diem quinque guttas medicamenti propinare decrevimus. Quum vero post meridiem diarrhoea cum doloribus abdominis et capitis superveniret, remedium vesperi seposuimus. Postridie, nocte satis bene tractata, cum redeunte cephalalgia, pupilla dilatata et appetitu disiciente, hora nona matutina horror cum tremore musculorum capitis, colli et extremitatum, praecipue superiorum, usque ad meridiem continuans, superveniebat, ac si febre intermittente fortiori corpus concuteretur. Respiratio simul erat impedita, loquela tremulans, tussis frequentior, sed brevi remittens, pulsus suppressus et parum acceleratus, temperatura corporis autem vix mutata. Post meridiem et sequentibus diebus horror saepius, noctu non minus quam interdum, cum symptomatibus memoratis et oculorum obnubilatione, post intervalla nunc breviora nunc longiora, rediens interdum per plures horas continuabat, pulsusque nunc frequentiore, aliquando irregularem, relinquebat, quamquam calor corporis et sitis non auferretur, neque anxietas aut alius sensus molestus locum haberet ita, ut aegrotata non raro tremorem omnes artus quatientem, nobis sollicitudinem excitantem, in jocum veteret. Tussis eodem tempore fere evanescebat. Operatio magnetica paroxysmum quidem mitigabat et plerumque plane interrompebat, sed per breve tempus tantum. Phaenomena haec non consueta ex usu acidi zootinici originem ducere persuasi, seposito remedio, primo aliquot cochlearia aceti propinavimus, tum malo non cessante, a die XXXI. Maji omni bitorio infusum radice Valerianae cum Spiritu sulphurico-aethereo, Ipecacuanhae grano dimidio interposito, praebuimus, pro potu non nisi infusum florum Chamomillae concessimus,

simulque balnea aromatica tepida adhiberi jussimus. Haec sudor sequi solebat, quocum tremores mitiores et rariores reddi coeperunt, quamquam pulsus adhuc acceleratus maneret et tussis, nunc communis nunc latrans, saepius denuo aegrotam vexaret. Quum, appetitu adhuc deficiente, lassitudo superveniret, incunte mense Junio decoctum Corticis peruviani cum tinctura Valerianae aetherea, omni bihorio cochleatim sumendum, praescripsimus, cui a die III. Jun., oxydi Zinci albi grana duo quater per diem adjecimus, pectori simul liquorem Ammonii causticum cum tinctura Opii applicari et vapores infusi herbae Hyoscyami, florum Sambuci et Chamomillae inspirari curantes. Quorum remediorum sub usu appetitus incresebat, horrores cum frequentia pulsuum imminuebantur et a die XI. Jun. tandem plane cessabant. Elapsis tribus diebus catamenia apparebant, quibuscum tussis quoque maxima ex parte evanescebat ita, ut aegrotata die XXI. ab eadem quidem nondum plane libera, sed parum turbata, nosocomium relinquere posset.

Epicrisis: Malum hoc nervosae indolis fuisse partim phaenomena, partim vis magnetismi animalis probavit. Hic vero non nisi praetereuntem producebat effectum, acidum hydrocyanicum contra constantiorem; primo enim tussis latrans, e larynge prodeuntis, paroxysmos tollebat, deinde quoque alteram periodicam mitigabat idque ex eo praecipue tempore, quo tremorem musculorum producebat. Mirus iste effectus, omisso quoque remedii usu, per quatuordecim dies continuabat et propter mutatum, uti videtur, arteriarum tenorem decursum febris remittentis absolvebat. Phaenomena haec non consueta usui remedii originem debuisse, propterea nobis persuasum habuimus, quia similem effectum brevi ante observare nobis evenerat. Eodem enim anno puellam septemdecim annorum epilepsia, ante plures menses e terrore exorta, jam aliquoties per diem redeunte, cum amenorrhoea laborantem in nosocomium receperamus, cui, aliis remediis incassum adhibitis, quotidie acidi illius guttas duas, tum tres, praebueramus. Simulac dosin vero ad quatuor guttas auxeramus, in febrem cum pulsu centies vicies micante, calore, siti, appetitu deleto, insomnia et lassitudine, sed absque dolore et alia affectione locali, aegrotata incidit, quae, suspenso remedii usu, post quatuordecim demum dies, quibus paroxysmi epileptici in scenam non

prodibant, excepto levi madore cutis, sine crisi evidente rursus cessabat. Malo pristino recrudescente, post aliquot tempus denuo ad acidum zootinicum confuginus. Duarum et trium guttarum dosin aegra bene ferebat, quatuor vero propinatis, delirium suave cum pulsu maxime frequenti sese ostendit. Aegrotata nimirum, alias timida, baculum in manibus gerens, voce clara cantans in cubiculo saltabat. Haec ecstasis per tres dies continuabat, quamquam remedium statim remotum fuerat. Tum omnia ad tramitem suum redibant, epilepsia autem cum amenorrhoea Belladonnae usu superabatur. In utroque casu ergo remedio nostro pulsum non retardatum, sed acceleratum et statum febrilem per duas septimanas durantem provocatum, soporem vero non inductum vidimus. Exempla haec veritatem, acidum hydrocyanicum longe alium effectum in organismo, quam narcotica alcaloidea producere, confirmant, simul vero vim ejus nondum omni ex parte hucusque in luce positam esse, satis superque docent.

h) Morbi organorum circulationis.

1) *Enormitas cordis a Stud. Med. Fleischer et Baumann observata.*

Kenter, juvenis octodecim annorum, constitutionis debilioris et habitus pallidi atque parvi, petalurgus (Klempner), die VIII. mensis Februarii anni 1810ccccxx. in nosocomium receptus de statu praeterito haec fere retulit. Aestate et auctumno anni 1810ccccxvii. dum noctes in horto transigere coactus esset, repetito refrigerio sese exposuerat, et sequenti hieme doloribus articularum in extremitatibus, praecipue carpi et genubus, chronicis, noctis tempore increscentibus, cum tumore, motu impedito et digestionem laesa affectus fuerat. Malum hoc aestatis tempore dissipatum altera et tertia hieme rediens, et nunc cum tumore ossium metacarpi nec non rigiditate digitorum, insigni longitudine et directione obliqua gaudentium, conjunctum arthriticam indolem eo magis prae se ferebat, quo familiarior morbus articularum parentibus aegri fuerat. Momenta causalia, siccitatem cutis et digestionem laesam respicientes balnea tepida sulphurata, extracta amarà, tincturam Guajaci ammoniatam, tum Rhododendron Chrysanthum et Camphoram, tandem-

que oleum anthelminticum Chaberti in auxilium vocavimus. Quibus remediis utens aegrotus sub perspiratione aucta, urticaria periodice in scenam prodeunte, et praecipitatione crystallorum acidi urici e lotio, a doloribus sensim ita liberabatur, ut sub finem mensis Martii lectum relinquere et satis bene obambulare posset. Interim ineunte mense Aprili, e constitutione forte epidemica, in febrem intermittentem tertianam incidit, qua per vomitorium, infusum Calami et Corticem peruvianum intra duodecim dies liberatus medio mense Aprili instituto clinico chirurgico tradebatur, ut operationi hydroceles, quam per quatuordecim jam annos gestaverat, sese subiceret. Hanc operationem a collega conjunctissimo *Moier* institutam feliciter superavit et ad negotia consuecta rediit. Interea, brevi post molestiis quibusdam respirationis vexatus, medio mense Septembri, ambulans ad nos reversus est, de dolore pectoris e duabus septimanis aucto et sub motu corporis tum angore conjuncto querens. Malum rheumaticae indolis esse opinantes vesicatorium dolenti loco imponi et regimine diaphoretico uti suavisimus. Consilio parens, elapsis tribus diebus, haemorrhagia narium fortiori correptus, insigne levamen percepit. Nihilominus, sub finem mensis ejusdem in febriculam cum dyspnoea et symptomatibus gastricis incidens, die II. Oct. auxilium nostrum denuo implorare commotus est. Vomitorio nunc propinato, symptomata gastrica quidem evanescebant, molestiae respirationis vero incresebant ita, ut aeger noctis tempore prae anxietate parum dormire et non nisi in latere dextro et abdomine cubare posset. Die VII. Oct. ab aegroto ad nos reverso de molestiis illis certiores redditi malum e corde originem ducere collegimus, proptereaque explorationem diligentiore instituimus, qua pulsum durum, plenum, vibrantem et acceleratum, cordis motum vero maxime auctum invenimus. Ictus ejusdem vel oculis conspici lateque per totum fere pectus manu distingui poterant, et stethoscopii ope contractiones ventriculorum, vehementia praecipue ad latus sinistrum eminentes, cognoscebantur ita, ut cor non solum dilatatum, sed substantiam ejus quoque hypertrophiam auctam esse conjiceremus. Propterea quatuor uncias sanguinis venaesectione detraximus, quo facto aegrotus insigne levamen percepit. Tum pulveres, herbae *Digitalis purpureae* granum dimidium continentis, ipsi

praebuimus, ut quater per diem dosin talem superet, diarrhoeam vero die XX. Oct. supervenientem, tinctura thebaica vicimus. Die XXVII. ejusd. aegrotus denuo ad nos accedens de aucta dyspnoea et ardore in sinistro latere pectoris querebatur. Pulsus acceleratus et plenus magis vibrabat, contractiones ventriculorum et arteriorum cordis, per stethoscopium exploratae, non distinctae, strepitum molinae imitabantur, et concussioniones inde dependentes non solum e longinquo in pectore ipso, verum etiam in capite observabantur. Hinc rursus sanguinis uncias tres evacuavimus, herbae Digitalis usum, aucta dosi, continuavimus, simulque pediluvia tepida commendavimus. Interim mense Novembri molestiae pectoris, praecipue quando corpus exercebat aeger, cum lassitudine incresebant, et ne situm quidem horizontalem in primis in latere dextro perferre poterat; accedebat praeterea tussicula cum sputis sanguine tinctis, otalgia et dolor scapulae in latere sinistro. Jam anxietas morbum concomitans, vel absque momento causali periodice cum palpitatione cordis exurgens, per paroxysmos, sudore et tussi humida finitos, redibat et, quamquam respiratio et loquela non plane interceptae essent, aegrotus tamen suffocari verebatur. Recepimus eum propterea die XXII. Nov. in nosocomium ipsum. Pulsus magnus et fortis tunc centum vicibus circiter micabat, motus cordis autem, eidem respondens, in toto fere pectore tactu percipiendus et cum fremitu memorato procedens, in latere sinistro tanto cum impetu absolvebatur, ut per vestes conspici posset, a regione epigastrica ad claviculam usque propagatus. Simul carotides, inprimis sinistra, vehementer pulsabant et concussionem suam cum capite communicabant. Sub inspiratione, absque dolore peracta, regio ventriculi retrahi, superior vero thoracis pars prae ceteris dilatari videbatur, dum compressio scrobiculi cordis, sursum directa, aegroti jucunda erat. Ceterum symptomata febrilia non aderant, et digestio et excretio urinae rite procedebant, in cruribus vero maculae pallidae rubrae planae, non dolentes, conspiciebantur et animus aegroti perpetuo mollis et tristis erat. Paroxysmi suffocativi primo rarius, postea quotidie, tandemque repetitis vicibus eadem die intercurrerant et, nunc per breve tempus nunc vel per horas continuantes, tempore noctis quoque maxime somnum turbabant. Tam lectam relinquens aeger obambulando

levamen quaerebat, plerumque tamen incassum. Hunc morbum cum vitis organice, procul dubio chronica inflammatione cordis procreatum, radicitus evellere desperantes, regimine, diæta et medicamentis aptis saltem mitigare studuimus, eumque in suam circuitum sanguinis nunc animi corporisque quiete, nunc victa tenuiori, nunc parvis venæsectionibus, nunc Digitali purpurea, nunc Tartaro depurato, nunc acido Halleri compescere, et impetum a corde pediluvii et rubefaciētibz avertere decrevimus. Anxietatem evacuationibus sanguinis quidem sedare nobis contigit, interim, molestiis semper recrudescētibz, vires magis magisque exhauriebantur, habitus pejorem formam induebat, et ineunte mense Decembri oedema pedum accedebat. Jam pulsus, licet Digitalis ad granum integrum omni trihorio et sæpius præberetur, centies tricies micabat, facies colorem luridum ostendebat et paroxysmi frequentiores reddebantur. Pulsatio, in regione cordis et intra secundam et dextram costam insignis, cum doloribus pungentibus conjuncta erat, sed evacuatione duarum unciarum sanguinis cum frequentia pulsuum ex parte compescebatur, sensorium contra magis debilitatum videbatur, accessus enim vix prægressi ab aegrotō mox oblivioni tradebantur. Horis matutinis diei VI. Dec. nostrum erecto corpore et cruribus demissis sedentem, paroxysmus prioribus gravior, cum pulsu minimo frequentissimoque, oculis clausis et obnubilatione capitis incedens, superveniebat, in quo debilitatis causa manibus caput suffulciri cupiebat. Sub finem ejusdem tremor cordis quasi stridens (schwirrend) et frigus extremitatum atque capitis sudore tecti observabatur. Fomentationes calidæ levamen quidem ferebant, et sub excretionē sputorum sanguine tinctorum anxietas denuo remittebat, brevi interim hæc rursus increscens aegrotum corpus ita componere adëgit, ut nunc stans caput parieti inniteretur, nunc sedens primum demitteret. Post meridiem cum frigore capitis atque extremitatum inquietudo increvit, quamvis aegrotus exhaustus pedibus insistere amplius non posset, pulsus minimus, tempore meridiano centum viginti sex vicibus adhuc micans, languescere coepit ita, ut hora quinta pomeridiana non nisi octoginta quinque ictus numerarentur motusque cordis in tremorem abiit. Tandem hora sexta stertens expiravit.

Die sequenti cadaver, non nimis emaciatum, inspicientes primo dispro-

portionem quandam extremitatum et trunci invenimus; manus enim et pedes, praecipue tamen utrorumque digiti, justo longiores apparebant. In abdomine hepar magnum et vesicam felleam bile turgidam, colon transversum coarctatum, omentum retractum et diaphragma in latere sinistro magis depressum conspeximus. In thorace pulmonem dextrum in superiori parte sanguine repletum et compactum, in inferiori normalem, sinistrum dimidio minorem, ad quartam tantum costam usque descendentem et thoraci pericardioque ligamentis spuris adhaerentem, membranam mucosam bronchiorum rubicundam, cor vero enorme invenimus. Pericardium, sex fere uncias seri continens, crassum et cordi in regione septi ventriculorum nec non in latere sinistro tum superius cum inferius accretum erat. Haec concretio interpositis stratis informibus hinc fere carnosus, illinc gelatinosis efficiebatur. Cor ipsum in basi adipe abundans, substantiam rite constitutam offerens, resecto pericardio sedecim uncias cum dimidia pondo habebat et ambitu externo et interno maxime auctum erat. Axis 5 pollicum, 2 linearum Par. diameter transversus 4 poll. 7 lin. et circumferentia 10 poll. 5 lin. longitudine gaudebat, arcus aortae autem ab apice cordis 6 pollicibus cum dimidio distabat. Ventriculus aorticus longitudinem 4 poll. 3 lin. et circuitum internum 6 poll. 7 lin. offerebat, ac parietibus crassitie tres pollicis quadrantes aequantibus constitutus erat. Continebat thrombum fibrosum, valvulae mitrali crassae et firmae adhaerentem, et sanguinis coagulati uncias fere duas. Sacculus venosus sinister dilatatus, punctis albicantibus obsitus, in exitu ambitum trium pollicum cum dimidio offerebat, et altera vena pulmonalis ab altera in centro suo duobus pollicibus distabat. Ventriculus dexter, thrombo magno repletus, longitudinem 4 pollicum et ambitum 5 pollicum 4 linearum habebat, parietes ejus autem crassitie unius tantum lineae cum dimidia gaudebant, et valvula tricuspidalis tenuior apicibus suis illis arctius adhaerebat. Atrium ejusdem lateris aequae dilatatum in exitu circumferentiam 4 pollicum totidemque linearum offerebat, et venae caevae 1 pollicis et 5 linearum spatio remotae erant. Aortae arcus, non ampliatus quidem, tunicam internam tamen rubicundam et laxam, a subjacente fibrosa facile separandam, monstrabat, et in descensu ejusdem, maxime vero in iliakis internis, rubor incresecebat. In-

spersa erant maculae albicantes, a congesta materia calcarea natae, et puncta similia in valvulis quoque semilunaribus laxis occurrebant. Arteria pulmonalis tandem lumine consueto majori praedita erat. In cranio, praeter locum in osse bregmatis justo tenuiorem cum subjacente exsudatione fibrosa durae matris, mutationes memoratu dignas non reperimus.

Epicrisis: Vitia organica cordis post mortem inventa diagnosin nostram bene confirmarunt. Cor enim in omnibus cavis suis dilatatum simul hypertrophia in latere sinistro laboraverat, idque procul dubio praegressae inflammationis lentae causa. Quando vero haec invaserit, certo constitui nequit. Ceterum a vero non absonum videtur, affectionem arthriticam systema circulatorium occupantem in culpa fuisse, quum variis in locis massa calci similis (forte natrum uricum) sub membrana serosa aortae et in sacco venoso sinistro deponi coepisset. Num hydrocele ablata quoque fortasse ad evolvendum malum partem suam contulerat? Quod effusionem seri in pericardio attinet, haec forte ex illo inde tempore invaserat, quo motus cordis fremens contractiones non amplius rite distinguere permisit, et oppressioni cordis, ope illius inductae, haud dubie quoque anxietas maxima et mors praematura tribuenda fuit.

2) *Pustula livida observata a Stud. Med. de Seidlitz.*

Paulus, rusticus esthonus tricesimum tertium fere aetatis annum agens, constitutionis robustissimae, die II. Februarii anni 1808. tempore matutino, in laboribus consuetis occupatus, repente cephalalgia fortiori atque horrore cum subsequente calore fugaci correptus, in gena dextra pustulam pullulare senserat; nihilo tamen secius, functionibus corporis ceterum non turbatis, negotiis suis in fundo domini fungi perrexerat. Sequenti solis die domi sub levioribus corporis molestiis transacta, die lunae (IV. Febr.) ad herum redierat. Hic pustulae aegroti jam nigricanti et tumore pallido circumdatae, pro endemica livida declaratae, vesicatorium imposuerant et, morbo nihilominus cito incrementum, aegrotum die VI. Febr. mane ad scholam clinicam ablegaverant. Invenimus nunc in gena affecta circulum diametri novem linearum sphacelatum et tumore albicante, duro, sensuque caerente, qui aurem tangebatur et ad marginem maxillae inferioris usque descen-

debat, cinctum. Extremitates et facies pallida, sudore madens, maxime frigeant, pulsusque frequens, contractus, fere filiformis erat. Ceterum aegrotus, de summa quidem lassitudine quaerens, sed sui omni ex parte conscius, in cubiculo adhuc obambulare valebat. Prima vice dirum hunc morbum in corpore conclamato videntes, non nisi consilia aliorum secuti, loco sphacelato scarificato primo pulverem Cantharidum inspersionibus, tum Kali causticum admovimus, tandemque vomitorium praebeuimus. Evacuationibus quibusdam sine levamine provocatis, ad Camphoram cum Gummi arabico subactam et aceto commixtam confugimus. Nihilo tamen secius tumor faciei increscens eadem adhuc die per collum ad pectus usque descendebat, et cum habitu in pejus mutato exhaustio virium ad summum perveniebat gradum. Accedebat postea perpetua nausea et, sumto remedio, vomitus reiteratus cum sensu quodam molesto in regione ventriculi et obnubilatione capitis. Versus noctem, pulsum frequentia adaucta, sudor frigidus per totum corpus erumpebat, vomituritio vero Laudani liquidi et Aetheris sulphurici dosi mitigabatur. Nocte ipsa absque somno transacta, die VII. Febr. mane, audita hora quarta, maxima anxietas, dyspnoea et dysphagia superveniebant, et quamquam frigus extremitatum cum sudore capitis imminueretur, sensorium tamen magis obnubilatum et motus cordis atque articularum vix percipiendus erat. Audita hora septima in somnum aegrotus incidere videbatur, sed brevi rursus expergefactus, tumore memorato externo magis indurato, et novo in inguine dextro exorto, cum anxietate summum gradum adscendente, audita hora nona in sella perforata sub convulsionibus, corpore resupinato, obiit.

Postridie tumorem in cadavere ex parte collapsum, os vero spuma cruenta tectum reperimus. Incisione a pustula per collum ad pectus usque facta, in loco tumente, sub integumentis communibus, magnam copiam lymphae gelatinosae, in regione carotidis et claviculae dextrae sanguine commixtae, simileque exsudationis productum coagulatum flavum sub sterno collectum, serum fluidum contra in thorace, pericardio, bronchiis pariter atque abdomine effusum invenimus. Pulmones densitate et colore non mutati in parte posteriori pleurae molliter accreti erant et cor illaesum sanguine atro, non coagulato, scatebat. Exploratis nervis et vasis colli, in prioribus praeter

ruborem nervi vagi, sanguini in ambitu effuso haud dubie debitum, abnormitatem non conspeximus, in his vero mutationem attentione magis dignam observavimus. Carotis enim cum ramis in latere affecto, nec non arteria innominata in superficie interna colore rufo acriori, qui in forma striarum per arcum aortae ad cor fere descendebat, nec lavando tolli poterat, tinctae erant ita, ut inflammatione haec vasa correpta fuisse dubitari non posset. Viscera abdominis rite constituta erant. Ceterum memoratu dignum esse videbatur, cadaver usque ad diem sepulturae, licet atmosphaerae temperies mitissima esset, nullum putredinis signum obtulisse.

Epicrisis: Morbus hic, inter Esthonos endemius, in decursu suo cum morbo sibirico, et pustula nigra a cel. *Kausch* descripta convenire videtur, sed momenta causalia ejus nos plane latent. Interior eum ab initio localem tantum esse constat; repente enim in conspectum veniens primis diebus remediis topicis causticis facile vinci solet. Neglecto vero auxilio tempestivo, mox, tota oeconomia perturbata, lethalis redditur. Vulgo hoc febre putrida, resorpti ichoris ope excitata, evenire credunt, sed certo perperam. Symptomata nimirum resolutionem materiae organicae nullo pacto produunt. Deest color luridus cutis, deest foetor excretionum, desunt haemorrhagiae, aliaeque colliquationes, desunt deliria ceteraque signa typhi gravioris, et post mortem putredo corporis sero demum accedit. In casu nostro cadaveris partes internae aequae firmae et recentes esse videbantur, ac partes hominis ense trucidati, neque, elapsis tribus diebus, odorem putridum spargebant. Anni tempori, uti monuimus, tribui hoc non potuit, praegressa enim hebdomade, temperatura atmosphaerae non majori, cadaver feminae, quae typho cum enteritide perierat, decem horis post mortem secuimus, et foetorem vix tolerandum jam percepimus. Inde morbum descriptum putridis annumerari non posse, luculenter apparet. Phaenomena potius post obitum observata, eundem inflammatoriae indolis esse, docebant. Exsudationes serosae in cavis majoribus et lymphaticae in collo et pectore, circa vasa majora sanguine mixtae, praecipue vero rubor acris arteriarum, in vicinia loci affecti obvius, non nisi phlogoseos effectus esse poterant. Causa mali proxima ergo in inflammatione arteriarum specifica ad cor tendente et rapido progressu fun-

ctiones vitales evertente quaerenda esse videtur. Respondet huic opinioni, quod mihi de casu simili retulit medicus quondam Sibiriae, exper. *Gaebler*, cui talem aegrotum usu hydrargyri muriatici servare contigit. Objicies forte, decursum morbi nostri a decursu inflammationis arteriarum vulgari differe, ideoque utrumque identicum esse non posse. Quis vero est, qui nesciat, inflammationes diversis causis, praecipue chemica vi agentibus, v. c. contagiis, provocatas diversissimis quoque cum phaenomenis incedere, et modo et exitu maximopere inter se discrepare? Utinam observationes repetitae rei lucem clariorem aliquando affundant!

3) *Suppuratio venarum observata a Stud. (nunc Doct.) Med. Walter.*

Catharina, femina constitutionis debilioris, quinquagesimum sextum aetatis annum agens, scholae clinicae die XXVII. Febr. anni 1800cccxix. tradita, ex tribus septimanis febre remittente cum diarrhoea et sudoribus nocturnis affecta, maxima jam lassitudine, cephalalgia, angina, dyspnoea, tussi cum sputis puriformibus, doloribus hepatis et anorexia laborabat. Quum praeter excessum in usu vini momenta causalia nobis non innotescerent, et nexus symptomatum non omni ex parte perspiceretur, indicationem generalem sequentes, ad compescendam diarrhoeam et adjuvandam assimilationem primo infusum corticis *Cascarillae* cum extracto *Opii* et *Gummi arabico* praescripsimus, quo facto diarrhoea postridie paullulum imminuebatur. Die I. mensis Martii angina quoque decreverat, respiratio autem cum febre et lassitudine increcente difficilior reddita erat, et vesperi aegrotata in coma somnolentum cum frigore et rigiditate extremitatum, pulsu vix sentiendo, respiratione irregulari, intermittente et dysphagia incidebat. Status hic apoplecticus pessimi ominis, quia remedia interna ob impeditam functionem deglutitionis admitti non poterant, in externis, ut rubefacientibus, lavationibus aromaticis et clysmatibus excitantibus, acquiescere nos cogebat; quum vero omnia instante nocte in pejus ruerent, tandem periculi causa venae-sectionem parvam instituere nos commovebat. Incidimus primo venam medianam in brachio dextro, quum vero sanguinem non emitteret, in sinistro quoque, et sic uncias sanguinis fere duas guttatim detraximus. Mox vero res conclamata esse videbatur, frigore enim per totum corpus diffuso, de

salute desperantes, aegrotam quasi in agone reliquimus. Nihilominus altera die mane, audita hora tertia, conscientia et calor animalis ex parte rediit, pulsus denuo percipi potuit et respiratio regularior fuit, excretio alvi autem et urinae locum non habuit. Elapsis aliquot horis, quum rursus deglutire valeret aegrotata, primo Camphoram in Aethere sulphurico solutam praebuimus et posthac infusum radicis *Serpentariae virginianae* cum tinctura *Cantuaridum* simul propinavimus, corpus cum Spiritu *Sinapeos* lavari curantes. Vesperi tandem jusculo carnis oblato, die III. Mart. vires paullo increscere et secretiones restitui vidimus. Membra maxime quidem debilitata, sed vere paralytica non invenimus, nihilominus aegrotata de susurru aurium et cephalalgia querens vomere coepit. Interim die IV. Mart. sub usu cataplasmatum aromaticorum, regioni epigastricae impositorum, nec non infusi *Serpentariae virginianae* et *Camphorae* continuato, et haec symptomata evanescebant et pulsus, licet parvus, ad frequentiam normalem redibat, tussis contra cum sputis purulentis denuo augebatur. Quum die sequenti diarrhoea quoque rursus incresceret, infuso *Serpentariae Cascariillae* corticem cum Gummi arabico adjecimus. Die VI. Mart. alvi profluvium imminutum, pulsus vero magis acceleratus erat. Diebus proximis febris increscenti siccitas oris accessit, et XI. Mart. circulatione magis debilitata, oppressio pectoris, calor externus auctus, levis sopor et tremor labiorum extremitatumque supervenit. Exploratione corporis instituta, cicatricem e venaesectione in brachio sinistro relictam ruptam, tumore circumdatam, et pedes oedematosos invenimus, quamquam aegrotata non nisi de dolore capitis et faucium quereretur. A loco incisionis sub cute funis quasi, longitudinis quatuor fere pollicum, in brachio adscendebat, quo compresso e vulnere pus profluebat. Suppurationem venae vulneratae agnoscentes loco affecto cataplasmata emollientia admovimus, interne vero infuso-decoctum *Corticis peruviani* et radicis *Serpentariae virginianae* cum Aethere sulphurico praebuimus, viribusque vesperi magis labefactatis, pulveres cum Camphora interposuimus. Sequentibus diebus tremor artuum quidem evanuerat et tumor circa venam decreverat, sed febris cum summa lassitudine eodem gradu continuabat et, frustra medicamentorum dosi aucta, die XIV. Mart. omnia in pejus ruebant. Aegrotata, sui conscia quidem,

in statu apathiae versabatur, musculi tremebant, lingua et dentes crusta nigra tecti erant et pulsus fili formam induebat. Die XV. Mart. sensu licet nondum extincto, loquela carebat, et, pulsu abolito, stertens cito respirabat; nihilominus, audita hora vespertina septima, exili vocis sono cibum appetebat, sed, vix jusculi cochlearibus quibusdam haustis, elapsa hora cum diuidia obiit.

Cadavere dissecto pulmones ubique pleurae accretos et tuberculis caseosis repletos, lobum superiorem lateris dextri suppuratum, inferiorem contra sanguine turgidum reperimus. Ventriculus cordis dexter tenuis, dilatatus, superficies vero interna atrii ejusdem lateris et venarum cavarum livida fuit. Hepar colorem fere luteum et stomachus cum intestinis flavescens pallidum prae se ferebant, colo descendenti contracto autem tubercula caseosa adhaerebant. Venae brachii sinistri a loco incisionis ascendentes et descendentes in tractu satis longo livorem, colori cerasorum similem, ostendebant et circa aperturam mediana atque caphalica, in spatio duorum fere pollicum, exulceratae et pure, altius vero coagulis lymphaticis repletae erant, et inflammationis vestigia a carpo usque ad musculum deltoideum ostendebant.

Epicrisis: Symptomata morbi et vitia organica in pulmonibus reperta aegrotam cum febre phthisica, cui (quare? nescio) insultus apoplecticus supervenit, ad nos accessisse docebant. Hoc praeter spem superato, licet factum effugere non posset, diutius tamen haud dubie vixisset, nisi venarum inflammatio in suppurationem transiens, die VI. Mart. uti videtur, cum symptomatibus febrilibus exorta, accessisset. Quum aegrotam de dolore locali in brachio non quereretur, malum novum in statu isto complicatum demum cognovimus, quum suppuratio subsecuta tumore externo se proderet. Decursum suum intra novem dies exitu lethali absolvens id febrem typhosam imitabatur. Ex quonam momento causali vero haec inflammatio et suppuratio venae brachii, leviter vulneratae, quae ne sanguinem quidem emiserat et venarum cavarum atque cordis dextri originem duxit? Externum detegi non potuit, ideoque internum quoddam forte praecipue efficax se praestitit. Re diligentius perpensa, cachexia cum suppuratione pulmonum incedens malo ansam praebuisse videtur. Nam nisu ad pyogeniam talis affectio

saepius, quam vulgo credunt, procreari solet, et certo morbi inde enati cum febribus asthenicis plerumque confunduntur. Liceat mihi probandae rei causa exempla duo, quae in schola chirurgica nostra eodem anno observavi, subjungere. Collega conjunctissimus *Moier* mense Februario rustico crus, e longo tempore ulceribus et carie exesum, amputatione abstulerat, idque dexteritate consueta, quae optimum eventum promisit. Per duas septimanas omnia rite procedebant et vulnus consolidari videbatur, quum repente febris continua cum maxima exhaustione virium et pulsu minimo, sensorio communi vero intacto, sese exsereret. Elapsis aliquot diebus anxietas et stupor, sensim in soporem transiens, supervenit, quo incremente aegrotus tandem exstinguebatur. Sectione instituta, venâ cruralis in toto fere decursu suo subfusca, pure repleta et sub ligamento Pouparti concremento fibroso clausa inveniebatur. — Aliquanto post simile quid accidit. Rusticus alius, quadragesimum quintum aetatis annum agens, qui sedecim annis ante pedem dextrum gela adusserat, ex illo inde tempore ulceribus, totum crus ad ossa usque corruptentibus, laboravit. Ex tribus annis deformitas horrenda cum effluxu ichoris foetidissimi et doloribus cruciantibus inde nata erat, febrisque lenta accesserat. Tali in statu, remedio alio non relicto, experientissimus *Moier* die VII. Oct. anni dicti crus sub genu amputavit. Proximis decem diebus, praeter suppuratorem duarum glandularum inguinalium e longo jam tempore tumidarum, incommodi nil accidit, die XVIII. Oct. autem febris exarduit. Postridie horror magnus cum sudore invasit, quibus finitis pulsus frequens magis subsidere et lingua exsiccari coepit. Sic febris cum intercurrente frigore atque sudore, nec non lassitudine summa, per aliquot dies saevire perrexit, simulque appetitus deletus, urinae et alvi secretio autem fere normalis fuit. Ceterum aegrotus, non nisi de dolore in pectoris loco, quo ante longum tempus ictum perpessus fuerat, aliquando querens, in statu apathiae versabatur et oculis plerumque clausis, sed vigilans, immotus et tacens jacebat. Paroxysmi horroris interea semel vel bis quotidie revertebantur et, quamvis vulnus magna ex parte jam sanatum esset, e rima parva adhuc aperta tamen et e glandulis supparatis sanies profluere incipiebat. Praeterea in decursu febris, medio in femore, supra venam cruralem abscessus formatus

fuerat, qui caustico apertus die XXIV. Oct. magnam puris copiam, in fascia lata depositam, effundebat. Ab hoc usque ad amputationis locum sub cute funiculus nigricans, qui directionem saphenae magnae sequebatur, descendebat. A die XX. Oct. inde aegrotus primo decoctum Corticis peruviani cum elixirio acido Halleri, deinde pulverem Chinae cum Aethere sulphurico, tum cum Moscho, tandemque decoctum corticis illius cum Camphora, sed hucusque absque effectu, sumserat. Vesperi tamen diei XXV. Oct. repente status emendari coepit; pulsus enim rarior exsurgebat, lingua humida reddebatur et appetitus redibat. Sequenti die, postquam aeger noctu satis bene dormiverat, cum circulatione fere normali habitus quoque meliorem formam induebat, idque sine ulla excretionem critica. Interim spes affulgens brevi rursus fallebatur; vespertino nimirum tempore pulsus denuo frequentior et minor, lingua vero siccior reddebatur, et die proxima pulsui maxime debilitato vel dyspnoea, collapsus faciei, et frigus nasi accedebat. Tandem miser, nocte absque sensu superata, die XXVIII. Oct. ante meridiem, hora audita decima, periit. — Aperto cadavere pedem mutilatum adipe longe crassiorem altero, vulnus maxima ex parte clausum, fibulam cariosam et ligaturas, e praeceptis celeberrimi *Lawrence* relictas, pure circumdatas invenimus. Saphena infra abscessum sanguine coagulato, et prope eundem coagulo lymphatico repleta simulque livida, sub abscessu ipso autem exesa erat. Vena cruralis a loco amputationis usque ad glandulas inguinales suppuratas coagula sanguinea et sub iisdem thrombum firmum continebat, superius vero cum iliaca interna usque ad venam cavam pure squalido turgens. Membrana earum interna exesa et subjacens fibrosa nigricans sphacelata, musculus iliacus internus vero et psoas magnus circa vasa affecta livida erant. In illo pectoris sinistri loco, quo aegrotus quondam ungula equi tactus fuerat, et in decursu morbi dolores senserat, intra pleuram et accretum pulmonem puris spissum, fere caseosum, majori copia, in latere dextro vero sub cute et in interstitiis fasciculorum musculi pectoralis magni fluidius, minori quantitate collectum, conspeximus. Cava cordis coagulis lymphaticis mollioribus referta, ac lien magnum et molle invenimus. — Quaerenti, unde hic visus ad pyogeniam, praecipue in venis, originem duxerit? respondeo: ex habitudine

longa, qua necessitas talis secretionis inducta erat. Natura eandem operatione suppressam in ultimo casu primo in glandulis inguinalibus, deinde in medio femore, tum in thorace simulque in vena crurali ipsa restituere conata est. Quam affectionem saepius sane observarent medici, si attentionem ad eandem, ut decet, semper dirigerent; et jure, uti videtur, celeberrimus *Richard Carmichael* (Transact. of the association of Fellows and Licentiat. of the Kings and Queens College Vol. II.) exitus funesti post operationes magnas causam frequentissimam inflammationem venarum esse, sed plerumque cum typho confundi, contendit. Quae quum ita se habeant, in prognosi post amputationem partium, longae secretioni innormali subjectarum, cauti erimus et forte cum celeb. *Dubois* consolidationem plagae, suppurationis ope adductam, illi reunione celeri effectae praeferemus, aut saltem foniculis magnis in partibus aliis consuetam secretionem servare studebimus. — Quod similitudinem morbi nostri cum typho attinet, haec sententiam virorum cell. *Armstrong, Kreysig et Puchelt*, eundem ipsum ex affecto systemate venoso originem ducere, confirmat. Interim diversa erit conditio, ubi e perturbatione venarum functionis universali (dynamica) et ubi e vitio earum locali (organico) malum enascitur. Differentia symptomatum quidem reiteratis demum observatis certo constitui poterit, interim in febre ex inflammatione venarum prodeunte cum pulsu minimo, difficultate respirandi, et sensu summae lassitudinis, sensorium minus affici videtur, ac in typho; saltem in casibus a nobis observatis deliria non aderant, sed singularis apathia potius, sero in soporem transiens, idque propterea forte, quia systema nervosum primitus affectum non erat, quemadmodum in typho e contagio exorto fieri solet. Ceterum memoratu dignum esse videtur, in ultimo casu aequae ac in primo, elapsis novem diebus, mortem irruisse, quanquam brevi ante miro modo omnia ad meliorem statum tendere viderentur. Sufficiant haec ad studium in hac re ulterius eruenda excitandum!

i) Morbi complicatiores.

*) *Series morborum graviorum se invicem excipientium a Stud. (nunc Doct.) Med. Frohben observata.*

Proscovia, ancilla nationis rossicae, constitutionis bonae, vicesimum tertium aetatis annum agens et octavo mense prima vice gravida, sub finem anni 1806cccxvii. cum erysipelate phlegmonode cruris sinistri in scholam clinicam recepta fuerat. Remediis resolventibus frustra adhibitis, abscessus exortus erat, qui die LX. Jan. anni 1806cccxix. cultro apertus multum puris ediderat. Sic, munus hodiernum auspicatus, eam reperiens unguentum Elemi applicari jussi, quo facto abscessus memoratus sanari, sed XX. Jan. die novus in poplite exurgere coepit, qui cataplasmatibus emollitus jam fluctuationem ostendit, quum die XXX. Jan. versus noctem haemorrhagia uteri superveniret. Exploratione orificium hujus organi satis altum, sed ad diametrum dimidii pollicis dilatatum invenimus. Perditis tribus fere libris sanguinis, tinctura Cinnamomi, elixirio acido Halleri et applicationibus externis antispasmodicis profluvium tandem colibitum est. Quum partus ipse post unam vel alteram septimanam demum instaret, quiete et remediorum nominatorum usu reditum mali impedire studuimus. Nihilo tamen secius sequenti jam die, versus mediam noctem, haemorrhagia brevibus cum intervallis recruduit, et aegrotam maxime exhaustit. Exploratione repetita, orificium uteri magis ampliatum et placentam ipsi insidentem, ex parte solutam, reperimus. Remediis quibusdam frustra adhibitis, supervenientes accessus lithymiae et convulsionum mutui me jam ad expellendum foetum artis ope (*Accouchement forcé*) connoverunt. Quem in finem, solutis secundinis, in pedes inversum, sed mortuum, ipsum extraxi et hac ratione haemorrhagiam repressi. Foetus, funiculo umbilicali bis circumdatus, jam primo haemorrhagiae impetu interiisse videbatur, ex illo enim tempore motum ejus non amplius senserat mater. Aegrotam maxime exhaustam nunc tinctura Cinnamomi et Spiritu sulphurico-aethereo, parca sed crebra dosi propinatis, potu acidulo et lavationibus, die I. Febr. vero illucescente, qua pulsus parvus acceleratus inveniebatur, juscule carnis cum vitello ovorum et vino reficere studuimus. In-

terea lassitudini nausea, cephalalgia et dolores dorsi accesserant, abscessus vero relaxatus subsederat, quare reactionem in eodem, applicato Kali caustico, revocare non dubitavimus. Die proxima febris atque debilitas increvit, licet affectionis uteri localis signa in conspectum non venirent et lochiorum fluxus parvus continuaret. Hinc leve infuso-decoctum Corticis peruviani cum radice Calami et tinctura Valerianae aetherea in auxilium vocavimus. Die III. Febr. frequentia pulsuum, lingua sicca reddita, ad centum quadraginta ictus aucta erat, in poplite fluctuatio evanuerat, et crus erysipelate oedematoso tumebat, quare sacculis aromaticis ipsum involvimus. Sequenti die aegrotam, quamquam noctem sub insomniis transegerat, se paullo refectam esse contendebat; appetitus simul auctus, dolor capitis imminutus et lingua humidior erat, frequentia pulsuum autem cum siti perstabat. Lactis secretio interea in scenam non prodierat, oedema pedis contra maxime increverat. Vesperi dolor in regione synchondroseos ossium pubis, tussi et narium munctione auctus, accessit. Nihilominus die V. Febr. febrem paullo mitiorem et habitum meliorem observavimus, ideoque in usu remediorum continuavimus. Quum vero postridie, febre magis adhuc mitigata, symptomata gastrica augerentur, tenue infusum foliorum Sennae cum pulpa Tamarindorum, refracta dosi, praebuimus, manibus ad provocandam, si fieri posset, secretionem lactis fomentationes ex infuso seminum Sinapeos imposuimus et die VII. Febr. restituta excretionem alvi, tumorem pedis, qui in abscessum lymphaticum abierat, incidimus et magnam copiam puris aquosi, forte lactis loco secreti, eduximus. Tum cataplasmata emollientia imposuimus et, alvi excretionem ter repetita, febre vero maxime mitigata, ad promovendam digestionem solutionem extracti Trifolii cum Spiritu nitrico-aethereo propinavimus. Quamquam vero omnia jam bonum eventum promitterent, repente tamen die VIII. Febr. (nona morbi) ante meridiem haemorrhagia uteri cum vertigine et convulsionibus rediit, et aegrotam denuo maxime debilitavit ita, ut cum facie hippocratica, ore aperto et pulsu filiformi perpetuo fere in deliquio animi, sed sensationis non expertus, versari videretur. Instanti periculo ad remedia fortiora confugere coacti, abdomini fomentationes frigidas ex aceto camphorato, abscessui re-

laxato tepidas e decocto corticis Quercus cum vino rubro et membris aromatico-spirituosas applicuimus, interne vero tincturam Cinnamomi cum Aethere in jusculo carnis, adjecto vitello ovorum, praeuimus. Vesperi cum habitu paullo meliori conscientia rediit et exili voce aegrotata se cephalalgia cruciari retulit. Breui post, coena sacra usa, medicaminum usum recusabat, sed, haemorrhagia media nocte cum lipothymia recrudescente, denuo permittebat. Die IX. Febr. abscessum in alio adhuc loco, infra suram, ruptum et circulationem magis acceleratam esse cognovimus. Calor cutis simul auctus, lingua denno sicca tantaque debilitas observabatur, ut vix membrum moveri verbumque pronuciari posset. Externe lavationibus spirituosis continuatis et femore ad avertendam infiltrationem puris fascia involuto, interne nunc denuo infusum tenue Corticis peruviani cum tinctura Cinnamomi et jusculo carnis praeuimus. Post meridiem labiorum tremor, inquietudo cum sensibilitate totius corporis valde aucta et dolores, nunc in pede, nunc in abdomine, nunc in capite saevientes, aegrotam oculis torvis et splendore omni carentibus jacentem male habebant, et, pulsu intermittente, sub tendinum subsultu frequentes horrores superveniebant. Tali in statu, intercurrentibus tamen intervallis quibusdam lucidis, quibus timorem mortis prodidit, noctem et diem proximam ad meridiem usque nostra transegit, tum, motibus spasticis mitigatis et pulsu ad typum regulariorem redeunte, cum desiderio fluida quaedam nutrimenta assumpsit et in somnum incidit. Die XI. Febr. post noctem satis tranquille transactam et evacuatam ex abscessu puris aquosi copiam insignem, aegrotata paullo refecta habitum meliorem prae se ferebat et cibum appetebat. Hinc in usu remediorum strenue continuavimus, et quum tempore vespertino saniei foetor perciperetur, potui elixirium acidum Halleri adjecimus, sequenti vero die abscessui fomentationes aromatico-spirituosas admovimus. Jam febris, hucusque fere continens, horis matutinis remittebat et vigor actionum incresebat, quum die XV. Febr. post meridiem, sub aucto dolore femoris, insignis horror, calore fortiori exceptus, superveniret. Loco dolente explorato, novum abscessum formatum agnovimus, et applicatis cataplasmatibus irritantibus, propinatisque remediis tonicis, bono omine supurationem rite procedere, febrem, licet vespertino tempore cum siccitate

oris exacerbata, magis magisque decrescere et vires instaurari vidimus. Tandem die XXI. Febr. apostema maturum lanceola incidimus et sex fere uncias puris, odorem hepaticum spargentis, eduximus. Quamquam vero decocta Corticis peruviani nunc magis concentrata, adjecta radice Columbo, et nutrimenta firmiora in auxilium vocaremus, suppuratio larga tamen cum febricula, tempore vespertino exacerbata, interdum cum diarrhoea conjuncta, per totum mensem Martium adhuc continuavit, et ineunte demum mense Aprili, cicatricibus consolidatis, omni ex parte evanuit. Restitit vero insignis debilitas universalis et oedema pedis cum ancylosi spuria genu, quae usum extremitatis laesae impediēbat, sed medicamentorum roborantium usu, extensione continua, fasciis, et frictionibus oleosis sensim sensimque superabantur ita, ut mense Majo aegrotā, claudicans quidem et menstruatione adhuc carens, ceterum vero optime valens, institutum nostrum relinquere posset. Ex illo inde tempore, officiis consuetis fungens, ambulans aliquando ad nos rediit, partim dolore et oedemate pedis redeunte, partim cardialgia vexata, quae amenorrhoea constanti tribuenda esse videbantur. Remediis palliatis adhibitis brevi plerumque levamen percepit, catamenia autem, ob neglectum remedium usum severiorem, rursus provocare nobis non contigit. Tandem mense Septembri sequentis anni, pneumoniae lentae cum insigni dyspnoea incedentis causa, denuo in scholam clinicam recipiebatur, qua, sub usu remedium derivantium, hydrargyri muriatici mitis et herbae Digitalis purpureae, trium septimanarum spatio superata, excepta amenorrhoea, ab omnibus molestiis tandem liberata dimissa est.

Epicrisis: Exemplum morbi hujus complicati, quanta ab organismo bene constituto mala vinci possint, ostendit. Aegrotā enim non solum haemorrhagiam ingentem et partum violentum, verum etiam subsequentem febrem acutam gravissimam et lentam cum suppuratione profusa feliciter superavit. Gravitas morbi e duplici procul dubio fonte originem duxit, partim scilicet e situ placentae perverso super orificio uteri, partim ex inflammatione cruris praegressa. Ille, haemorrhagia vires exhaustiva provocata, febris adynamicae graviore ansam praebuit, haec humores in mammis deponendas, uti videtur, ad extremitatem inferiorem sinistrae allexit et abscessus lymph-

ricos cum secretione profusa et febre lenta provocavit. Acuta, reiterata haemorrhagia, nona die ingravesceus, intra duas septimanas superata, sed die decima quanta a-symptomatica lenta excepta fuisse videtur. Hac enim, pulsu frequentia fere naturali gaudente, repente horror cum novi abscessus generatione invasit et ex illo inde tempore, symptomatibus gravioribus fugatis habituque emendato, febris formam et indolem suam mutavit.

2) *Phthisis pulmonalis post luem veneream cum sensibilitate singulari morbose.*

Catharina Ulander, femina extra matrimonium vivens, tricesimum tertium aetatis annum agens, quae vita dissoluta ante plures jam annos in luem veneream inciderat, initio anni 1813cccxviii. membrorum acylosi contracta, ulceribus et cicatricibus tecta, tussi sputa purulenta rejiciens, doloribus artuum cruciata, macie consumpta et febre lenta exhausta in institutum nostrum recepta fuit. Miasma syphiliticum adhuc subesse conjicientes curam ab usu mercurialium inchoavimus, sed brevi haec, quondam saepius jam adhibita, nunc non amplius perferri cognovimus; post alteram enim frictionem aegrotam salivare incepit. Hinc ad methodum roborantem et palliativam confugere nobis placuit et sensim, praeter spem, sub usu nutrientium, Corticis peruviani, Lichenis islandici, Phellandrii aquatici, acidi nitrici, extracti Chelidonii, Opii et balneorum, aegrotam vires recuperare et ulcera, ossa praecipue infestantia, maxima ex parte sanari vidimus. Nihilominus, digestionem licet vigente, febricula et macies cum doloribus vagis et tussi, qua periodice multum puris cruenti excernebatur, perstitit, simulque sensibilitas summa, post commotiones animi non raro spasmis et convulsionibus se exscrens, in conspectum venit. Hinc vere anni 1813cccxix. magnetismum animale admittere apud animum constitui, et, manu aliquoties in distantia quadam a capite ad pedes diducta, aegrotam concidere et somno opprimi vidi. Eandem effectum attactus capitis et halitus admissus produxit. Hic somnus ipsi maxime beneficus esse videbatur, dormiens enim facie serena jacebat et expergefata se optime refectam esse contendebat. Repetita operatione febris cum doloribus mitigari, reproductio vero augeri coepit. Tandem, elapsis tribus septimanis, in somno verba protulit et ad quaestiones a

me propositas respondit. Fieri hoc solebat ab initio cum difficultate, propter spasmum gulæ vincendum, postea facilius, sed breviter et lente, eodem verbo bis repetito. Rarius phantasmatibus tacta sponte loquebatur. Praeteriti temporis in hoc statu bene memor, quid susceperit et quid assumsērit, ingenuè profitebatur, sed de affectionibus corporis sui enunciare nil poterat et semper, examine de iisdem instituto, bene sese habere affirmabat. Praesentiam aliorum non percipiebat, neque ad verba eorum respondebat, priusquam mecum in contactu fuerant; hoc vero admissio, eosdem mecum confundebat. Interdum quoque accidit, ut et lecto surgens et oculis clausis vestes induens, fulcro ianixa, per cubiculum obambulare. Aquam magnetica vi imbutam in hoc statu respuebat et, vel vigiliarum tempore, clam propinatam vomitu rejiciebat. Ceterum somnus operatione adductus brevi plerumque finiri solebat, quo facto, quid acciderit, aegrotā plane nesciebat. Quod vero memoria prae ceteris dignum esse videtur, sensibilitas singularis brachii sinistri saepe dolentis apparuit. Hoc nimirum e longinquo non solum digitis, verum etiam aliis substantiis, praecipue metallis, mira ratione affici solebat, simulac aegrotā in somnum magneticum incidere. Sic ex angulo cubiculi opposito, pollice ad brachium illud directo, primo manus, tum tota extremitas ipsa convellebatur et pronatione cum gemitu et lacrymarum profluvio contorquebatur. Praeter me et alii, licet minori in gradu, phaenomenon hoc provocare valebant. Longe major tamen effectus metallorum tum acuminatorum cum praecipulatorum ope excitabatur, idque non solum, quando brachio sensibili ipsi, sed etiam, quando alteri, motum non participant, admovebantur. Ceterum gesticulationes pro diversitate metallorum constanter variabant ita, ut qualis motus in periculo faciundo subsequatur sit, certo praedicere possemus. Distinctissime observandae erant, quando laminae metallicaee imponebantur manui dextrae. Quamquam enim haec immota quiesceret, sinistra tamen illico ratione memorata concitabatur. Sic *ferrum* commune, pariter atque magneticum, contractis digitis, supinationem brachii, sic *zincum*, compressa manu, elevationem brachii perpendicularem, sic *cuprum*, inflexo carpo, primo erectionem antibrachii, tum totius extremitatis, sic *argentum*, contracta manu, positionem brachii horizontalem supra pectus,

sic *aurum*, carpo maxime reflexo, contractionem digitorum violentam producebat. Qui motus spastici, remotis quoque substantiis continuantes, imo increscentes, applicatione volarum manuum ad scapulam et carpum sedari solebant. *Carbo* zinci et cupri similem vim exerebat, *lacca signatoria* contra, *bombyx* et *vitrum* contraria gaudebant. Haec nimirum, manu dilatata, supinationem extensi brachii inducebant, eo tamen discrimine, quod, lacca signatoria admota, digiti omnes porrigerentur, bombyce ultimi duo, et vitro primus et ultimus incurvarentur. Hic motus, qui contractionem metallis inductam aufererat, aegrotae non nisi longa duratione molestus esse videbatur. Quando substantiae virtutis oppositae, v. c. ferrum et bombyx, manui simul imponebantur, luctatio utriusque effectus sub forma convulsionum irregularium in scenam prodibat. Quibus experimentis commotus aliarum quoque rerum externe applicatarum, praecipue medicamentorum, vim in aegrotam experiri apud animum constitui et, consilio executo, phaenomena non vulgaria observavi; singula enim corpora motum peculiarem, nunc in manu, nunc in brachio, nunc in toto corpore, provocabant. Sic *opium* brachium tremere et agitari, sic *acidum phosphori siccum* manum rotari, sic *natrum*, compressis digitorum apicibus, totam extremitatem levare, sic *aether sulphuricus* eandem ad abdomen apprimi fecit. Maximam vero *argentum vivum*, *arsenicum album*, *phosphorus* et *moschus* vim habere videbantur; praeter diversissimos enim manus et brachii motus, applicatione eorum vel cetera membra quoque et totum corpus cum gemitu et fletu convellebantur. Nihilominus aegrotae, in hoc statu interrogatae, molestis se vexari negabat, quamquam posthaec, expergefata, per aliquot dies de doloribus in partibus agitatis et, toto corpore concusso, in regione epigastrica quereretur, quare experimenta haec saepius repetere non ausus sum. Ceterum memoria dignum esse videtur, materias illas vel minima in copia applicatas (ut atomos quosdam arsenici et guttulas minutissimas hydrargyri) vel illico rursus remotas, phaenomena memorata statim procreasse, et modum agendi ex parte sensibilitatis aegrae gradu, forma et temperatura corporum applicatorum mutatum fuisse. Hanc in gestus prae ceteris vim habuisse, ex inspectione aquae cognovimus, quae media temperatura gaudens motum frictionis

abstergendae cuti idoneum, calida vero pronationem et frigida supinationem manus excitabat. — Quum vero videremus, sale culinari ad palmam dextram applicato, sinistram ad inspergendi motum compuli, res ab aegrotâ quotidie tractatas non tam qualitate, quam usu gesticulationes dirigere conjicientes, experimenta plura alia hunc in finem instituimus, quae opinionem nostram exacte confirmabant. Capillo enim volae manus dextrae imposito, sinistra gestum pectendi imitabatur, similique ratione cunex scalpendi, charta scribendi, mantele abstergendi, muccinium emungendi, calceus induendi, cochlear ligneum edendi actum provocabat; cochlear contra e stâno confectum motum hinc metallo convenientem ciebat. Quae experimenta non solum a me, sed ab aliis quoque medicis atque amicis repetita, propterea jam admirationem nostram excitarunt, quod aegrotâ dormiens, oculis clausis, omnia peragebat, maxime tamen, quod, instrumentis vel tectis, effectus in scenam prodibat. Sic praeses tribunalis medici Rigensis, vir exper. *Kurzwig* aegrotâ dormienti quondam pecten parvum et oculare, capsulis corneis inclusa, admovit, et altero pectendi, altero per digitos, in annuli formam compositos, inspiciendi actum provocatum vidit. Silentio hic praeterire non possum, experimenta haec, per longius tempus continuata, tandem inquietudinem et jactationem corporis adduxisse, et rebus memoratis non palmae dextrae, sed aliis corporis partibus, ut capiti, scrobiculo cordis et pedibus, adnotis, non nisi contractiones spasticas irregulares cum gemitu procreatas esse. — Mense Septembri dicti anni saepius nostra de doloribus brachii dextri querebatur, quibuscumque sensibilitas ejus ita variavit, ut phaenomena descripta, hucusque in latere sinistro observata, in altero se exsererent. Elapsis vero quatuor septimanis, post dolores in genu sinistro tumido, sensibilitas illa specifica ad pedem migravit, in quo vero effectus rerum corpori admotarum convulsionibus et contorsionibus minus characteristicis sese prodebant. Tandem receptivitas in singulis partibus eminens evanuit, quamquam aegrotâ operatione magnetica semper adhuc cito in somnum injiceretur et corporibus externis tunc admotis spasmodicis vagis afficeretur. Quum, ulcere quidem carioso in vertice, tussi cum sputis purulentis macieque affecta, ceterum bene se haberet, et vel sine fulcro incedere posset, ab operatione

abstinuimus et plithiseos lentae causa, intercurrentibus molestiis fortuitis variis, ut doloribus rheumaticis, erysipelate faciei, motibus febrilibus et otitide carie finita, in nosocomio eam retinuimus. Qua in periodo interdum evenit, ut somnambulismo spontaneo correpta, clausis oculis amicta, per cubiculum incederet et ad portam plerumque, quasi exhausta, concideret. Ceteram sensibilitas universalis aucta diversis aliis quoque phaenomenis sese exseruit, quorum unum modo memorare hic nobis liceat. Accidit aliquando, ut aegrota alia, lue venerea laborans, cum nostra in eodem cubiculo versaretur. Simulac illa frictionibus mercurialibus, absque omni salivationis vestigio, tractari coepisset, haec statim tumore gingivarum livido dolente, oris foetore et sapore depravato afficiebatur, quae symptomata tum demum cessabant, quum ad aliud cubiculum deducta fuerat. — Digestione rite procedente et viribus vix magis labefactatis, ad diem XXXI. Maji anni MDCCCXXI. vixit, qua tandem, e septimana febre fortiori correpta, sudocata periit.

Sectione cadaveris instituta praeter vitia minoris momenti hepar volumine excellens, pulmonem vero sinistram suppuratione destructum et lobum ejus superiorem externe membrana spuria crassa, quasi lardacea, involutum, ubique thoraci accretum, interne vero, relictis trabeculis, exulceratione plane excavatum et magna ex parte pure repletum invenimus.

Epicrisis: Videmus ex hac historia, quid nervi in organismo valeant, quam repente, temperie earum mutata, reactio totius quoque organismi vertatur, et quanta sensibilitatis ratio in eligendis et adhibendis remediis habenda sit. Praebet eadem simul exemplum Siderismi ad gradum forte inauditum evoluti. Metalla enim aliaeque substantiae, ab aegrota tempore vigiliarum absque sensu tactae et tractatae, somno magnetico inlucto, repente cum vehementia in eam agebant. Argenti vivi globulas minimas tunc tumultum horrendum ciebat. Jure exinde colligere possumus, quanta difficultate observationes de usu et efficacia remediorum nervinorum prematur, et quanta cautione in conclusionibus inde formandis opus sit. Quam rudes

curandi nostrae methodi vulgares, non nisi manca plerumque qualitatis et doseos medicaminum cognitione innixae, tali in casu apparent, et quam insolens medicus, subtilem et clandestinum nervorum lusum negligens, non nisi praecconceptas opiniones sequens!

Explicatio delineationum.


- A. superior et B. inferior pars pristinorum castrorum urbanorum, quorum fundamento firmato, sub auspiciis Collegae conjunctissimi *Krause*, Professoris Oecon. Techol. et Architecturae civilis P. O. meritissimi, hodierna schola clinica superstructa est.
- C. aedificii pars subterranea, sedes priores (1) lavatorium (4) pristinam (7) domicilia servorum et ancillarum (2. 3. 5. 6.) nec non cellas (9. 10.) continens.
- D. contignatio inferior, domicilium oeconomi (e. f. g.) obstetricis (k. l. m.) medici auxiliarii (p. n.) culinam (h.) balneum (i) funerarium — cui alius locus jam destinatus est — et vestiarium (q. q.) nec non scholam obstetriciam (n. n. m. m.) includens.
- E. contignatio superior, scholam chirurgicam (2. 3. 4.) clinico - medicam (6. 7.) et pharmacopolium (5.) continens.
- F. interna et G. externa facies aedificii, e parte occidentali spectata.
- H. interna et I. externa structura, septentrionem versus.

E r r a t a.


Pag.	3	lin. 10	omitte: et.		Pag. 105	lin. 23	loco: conjuncti	lege: conjuncti.
—	4	— 22	loco: monstrat	lege: monstrat.	— 105	— 28	— dimidium	— dimidium.
—	5	— 24	— inter	— intra.	— 106	— 28	— Ammoni	— Ammonii.
—	6	— 8	— eaeque	— earumque.	— 115	— 22	— perpresso	— tolerato.
—	6	penult.	— aerumis	— aerumis.	— 121	— 2	— posthaec	— posthae.
—	8	— 24	— 1500	— 7500.	— 130	— 16	— brachio	— brachio.
—	15	— 27	Reymann	— Reymann.	— 130	— 24	— placuit	— nobis placuit.
—	19	— 5	— corporum	— corporum.	— 131	— 5	— conionato	— continuo.
—	25	— 1	— exserat	— exserat.	— 132	— 25	— immitas	— immitas.
—	26	— 4	— carbonicam	— carbonicum.	— 142	— 5	— perpressam	— conflaram.
—	29	— 3	— tantum modo	— tantummodo.	— 142	— 21	— ammoni	— ammonii.
—	38	— 20	— memoratorum	— memoratum.	— 154	— 19	— Septembri	— Novembri.
—	48	— 28	— posthaec	— post haec.	— 156	— 8	— simulque egro-	— simulque aegro-
—	53	ultima	— 106	— 115.			— tu	— grotus.
—	65	— 27	— denegare	— denegari.	— 159	— 5	— usus	— usum.
—	65	— ult.	— patientias	— patientiae.	— 162	— 23	— dyscrasia	— dyscrasia.
—	67	— 2	— posthaec	— posthaec.	— 160	— 24	— perpresso refri-	— refrigerium per-
—	71	— 16 et 17	— potest	— potuit.			— gerio	— pressa.
—	75	— 7	— sterosaque	— stertenteque.	— 170	— 5	— veneracionem	— veneracionem.
—	78	— 4	— brachia	— brachia.	— 178	— 29	— vocabulo: hypertrophiae	— aedie: cordis.
—	78	— 18	— brachiis	— brachiis.	— 182	— penult. loco: sibi	— sibi	— sibi.
—	81	— 2	— tumbet	— tumbet.	— 186	— 25	— perpresso	— ingresso.
—	81	— ult.	— colore	— colore.	— 190	— 6	— adlere	— adli.
—	83	— 15	deleatur: post.		— 195	— 1	— continens	— continens.
—	84	— 14	loco: brachio	lege: brachio.	— 197	— 9	— ad	— a.
—	88	— 17	— videatur	— videbantur.	— 199	— 7	— Stud.	— Stud. Med.
—	92	— 8	deleatur: et.		— 204	— 20	— in nosocomium	— numero aegrotorum
—	93	— 17	loco: paululum	lege: paululum.			— receptus	— ambulat-
—	98	— 23	— etitici	— etitici.				— tium adscri-
—	99	— 28	— sinistri	— sinistrae.				— ptus.
—	104	— 2	— evacuebantur	— evacuebantur.	— 216	— 25	— livida	— lividi.
—	105	— 5	— porpressum	— conflatum.	— 221	— penult.	— deponenda	— deponendos.

A


B



C




D



1 2 3 4 5 6 7 8 9 10 11 12 Faden

E




F

G



1 2 3 4 5 6 7 8 9 10 11 12 13 14 15 16 17 18 19 20 21 22 23 24 25 26 27 28 29 30 31 32 33 34 35 36 37 38 39 40 41 42 43 44 45 46 47 48 49 50 51 52 53 54 55 56 57 58 59 60 61 62 63 64 65 66 67 68 69 70 71 72 73 74 75 76 77 78 79 80 81 82 83 84 85 86 87 88 89 90 91 92 93 94 95 96 97 98 99 100

H



I

